BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
31
4 B
13

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible] Google

OPUSCULUM
HISTORICO-THEOLOGICUM
DE INDULGENTIIS,
ET JUBILÆO.

OPUSCULUM
HISTORICO-THEOLOGICUM
DE INDULGENTIIS,
ET JUBILÆO,
PRÆSERTIM *ANNI SANCTI*

JAM IMMINENTIS,

Cum omnibus caſibus haſce materias in praxi concernentibus.

AUTHORE

FR. FRANCISCO VAN RANST

S.Ordinis FF.Prædicator. S.Theologiæ Doctore, & Collegii Caſanatenſis Theologo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ, MDCCXXIV. Typis Antonii de Rubeis in Via Seminarii Romani.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO,
DOMINO

BENEDICTO
DECIMOTERTIO
PONTIFICI MAXIMO

Ex S. FF. Prædicatorum Ordine
aſſumpto.

QVi aptiùs Opuſculum hoc de Indulgentiis, & Jubilæo, *præſertim* Anni Sancti *jam inſtantis, & à Sanctitate tuâ promulgati tractans, in hâc communi omnium ob Pontificatum Tibi divinitùs collatum lætitiâ, & jubilô, quàm Beatitudini Tuæ conſecretur?*

Sanè, Te ad hanc Supremam eve-

ctum eſſe in terris Dignitatem, omnes, Summi, Medii, Infimi lætamur, eamque effuſis præ gaudio lacrymis exporrectô pectore, & explicatô vultû ex intimis præcordiorum medullis Sanctitati Tuæ gratulamur.

Quàm fauſtus fuit ille dies vigeſimus nonus Maji, dum, ut olim in Apoſtolos, factus eſt repentè de Cœlo ſonus, tanquam advenientis Spiriritûs vehementis *in Purpuratos omnes congregatos, mentibus, & votis certatim ad te Eccleſiæ univerſæ præficiendum efficaciſſimè concurrentes.*

At quàm ſpemque, metumque inter de Supremi, qui tuis meritis deferebatur, admiſſione honoris aliquantiſper fluctuantes hæſimus!

Apoſtolico honori, & oneri colla ſubdere detrectabas, ei renitebaris, repugnabas, reluctabaris. Verebamur, *inquis, in primo Purpuratorum Patrum congreſſu*, ne Deus terribilis in conſiliis ſuper filios hominum nos ele-

elevans, dignis Apoſtolicô Miniſteriô virtutibus deſtitutos allideret, ac ne fortiora ſuſcipientes incuſsô pondere contereremur, aut irrumpentes in Sancta opprimeremur à gloriâ. *Hinc præ horrore judiciorum Dei erumpentes illæ uberes tuæ lacrymæ, hinc timor, ne ſub gravi, & Angelicis humeris formidandâ ſarcinâ fatiſceres.*

Sed Deus, qui eligit, virtutem quoque largitur electo, & virtutem confert, qui confert Dignitatem.

Quamobrem cum tanta fuerit ſuffragantium conſenſio, certiſſimo hæc tibi argumento eſſe debet cœleſtium mandatorum, eis proinde nefas eſſe exiſtimaſti diutiùs obluctari.

Hinc in dignitatem conſentiens, & incredibili Patrum Collegium, totamque mox Urbem gaudiô perfudiſti, & ingentem de noſtro metum pectore, ne abſolutè oblatam Tiaram reſpueres, ſolviſti.

Qualis tunc omnium ad D. Petri areâm concurſus? qualis omnium ætatum, conditionis, profeſſionis applauſus! quàm læta, dum ſolemnis novi in terris Jeſu Chriſti Vicarii proclamatio è ſuperiori loco, inter tormentorum bellicorum boatum, tympanorumque ſtrepitum funderetur, ex imo pectore effuſa acclamatio!

Profectò dum tuum in ſummo honore admittendo reniſum, dum ſtupendam illam animi demiſſionem, dum vitæ tuæ ſeriem vel à puero contemplor, jam tunc morum, virtutumque omnium, præſertim humilitatis conatû acerrimô ad altiſſimum gloriæ verticem contendebas. Quid enim tuis in rebus non eſt præclarum, non Vaticanô dignum faſtigiô?

URSINÆ Familiæ decora (cujus Pontifices, Purpuratos, Heroës in medium proferre ſingularis tua Modeſtia non patitur) à juventute reſpuere voluiſti: Sed dum illa

reſ-

reſpuis ; dum in Clauſtris latêre appetis, omnemque à te honoris gradum, qui vel remotè tibi viam ad Vaticana culmina poſſet ſternere, amoliri ſtudes, gloria, ut fugientem umbra aſſequitur, eôdem, quô eam fugiebas, gradu te eſt aſſecuta, & tandem, poſtquam ab ipſis Religioſæ Vitæ umbris lucem mutuatus eſſes, poſt Purpuram, variaſque Infulas conſpicuô Vitæ ſplendore illuſtratas, in fulgentiſſimo Principis Apoſtolorum Solio collocavit.

Juvat hæc tantiſper recensêre.

Videor te mihi vidêre de ſtatu Vitæ capeſſendo in flore juventutis ſenili prudentiâ deliberantem.

Occurrebant animo tot ſalutis procellæ, quibus in hoc turbulentiſſimo Mundi Pelago agitamur. Hinc tamen Syrenes ad fallendum edoctæ varios in Sæculo honores, quibus olim Proavi effulſerant, tum oculis aulici repræſentatione faſtûs, tum potiſſimùm

mùm auribus ſuavi concentu; cui tot Mortalium mentes ſuccubuerunt, offerebant.

At genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra puto: *inquiebas*. Cedant hæ fumoſæ Majorum imagines amori Virtutis.

Pectore magnanimo cuncti ſpernantur honores,
Sola mihi virtus pandet ad aſtra viam.

itaque Majorum tituli novo Victoriæ genere ſuperandi ſunt.

Ex Scyllâ, & Charybdi eluctemur, ad portum illicò Salutis properemus.

Sed dum hæc auguſta auguſtô verſas animô, an deſunt Sancti, quorum veſtigia premas, domeſtici? nonne octodecim clariſſimi Sanctimoniâ heröes ex URSINA Stirpe aris immiſſi ſunt? Si velis cum ſudorem in Chriſtianâ Religione propagandâ, tum ſanguinem in eâdem confirmandâ

profundere, en tibi ſuppetunt Joannes, & Paulus fortiſſimi URSINI fratres Martyriô coronati annô 362. Voluſianus Martyr Archiepiſcopus Toloſanus annô 570. Adalbertus Epiſcopus Pragenſis annô 997. Si ampliſſimum patrimonium cum virtutum cenſu permutare, ſi mentem divinarum rerum contemplatione paſcere, ſi ab aliis aliam ſanctioris vitæ rationem excerpere deſideres, nonnè è tuâ tibi ſuppeditantur proſapiâ S. Benedictus Monachorum in Occidente Patriarcha annô 546. S. Paulus I. Pontifex maximus annô 757. Gaudentius Epiſcopus Pragenſis ad annum 990. Scholaſtica D. Benedicti Soror annô 540. Batildis Clodovæi Secundi Galliarum Regis Coniux annô 665.? Superſedeo URSINO Presbytero ad annum 500. Joanni Cœnobii Caſſinenſis, quod tot Summorum Pontificum extitit Seminarium, Religioſo. Silentio involvo Bernardum Epiſcopum Aprun-

tinum

tinum annô 1122. Joannem Præſulem Tragurienſem annô 1100. Valerium Antiſtitem Nucerenſem annô 1228. item VRSINVM Archiepiſcopum Biturienſem annô 225.

En nullus eſt in Chriſtianâ Republicâ gradus, qui quempiam è tuis ab anno Virginei partûs ducenteſimo vigeſimo ſecundo divorum albo adſcriptum eſſe in Domino gloriari non poſſit. Ampla igitur Sanctorum ſeges, quorum virtutes æmuleris, tibi ſubminiſtratur.

Quid hîc intueor? Quale ſpectaculum attonitis obverſatur oculis? Antiquiſſimæ familiæ caput, ut in ſublimem Sanctimoniæ verticem eniterêris, utque omnium VRSINORVM in Te unum ornamenta contraheres, Principatum familiæ, latiſſimæ ditionis ſplendorem, divitias, blanda illa malorum irritamenta, voluptatem, jucundam iſtam animorum luem, nondum libatam promptâ obe-

dien-

dientiâ, religioſâ paupertate, caſtitate eximiâ commutaſti. Exiſtimaſti è Superiorum nutu pendère, iis, atque in ipſis Deo ſervire, *REGNARE ESSE, ratus es, nihil eſſe tuum, quod tibi alienô arbitriô eripi poſſet: arbitratus es, veram ſapientiam, quâ mentem ultrà ætatem imbueras, cum licitis etiam in connubio complexibus vix poſſe conſiſtere.*

Minervam, Sapientiam ſcilicet excolere poteras. Illa tibi Romanam in aulam per laureata Majorum veſtigia ingreſſum parabat, tibique dignos pro meritis honores deſtinabat; maluiſti tamen Minervam ſequi in clauſtris latitantem.

Venetiis ſecuræ tranquillitatis ſtationem in Sanctiſſimi Parentis DOMINICI Cœnobio (Caſtellum *illud vocant) tibi ſeligis.*

Quanta illìc laudum ſeges mihi ſuppeditatur? Quantam indè Diſciplinam, Pietatem, Religionem, Can-

do-

dorem animi, cum candido ſemper habitu (quem nulla unquam à te avulſit dignitas) conjunctum hauſiſti? an non totum Ordinis rigorem, ſtrictum jejunium, à carnibus abſtinentiam, ſtatas ſilentii leges ſectatus es, imò longè operibus, quæ Regula non præcipit, à te voluntariè, & alacriter ſuſceptis ſuperaſti?

Qualis Tua erga Prælatos obſervantia? Totum Te eorum Imperiis mancipaveras. Eorum voluntas erat tibi pro lege, conſilia pro præceptis, nutus pro norma, verba pro oraculis.

Qualis in divinis laudibus aſſiduitas? Quantus in Deum fervor, dum horarum canonicarum penſum perſolveres?

Hinc, ex illo ſcilicet Religioſæ Vitæ Tyrociniô profluxit admirabile illud tuum in omnibus, quæ divinum cultum concernunt, devotionis ſtudium.

Hinc manavit & dum Beneventanæ Eccleſiæ habenas moderareris,

&

& modò, dum univerſi Orbis Chriſtiani Machina tuis incumbit humeris, in tot negotiorum curis illa ſingularis Chori ſequêla.

Nonne nuper, vel inter ipſos Collegii S. Apollinaris alumnos præ lætitiâ in ſingultus, & lacrymas effuſos, applaudentibus Cœleſtis curiæ agminibus, horarum divinarum recitationi, ſummoque Sacro per aliquot horas intereſſe dignatus es?

Quantum poſt profeſſionem ſolennem in Te non eluxit virtutum augmentum?

Studiis gravioribus te applicas, ſed eximiam ſcientiam cum pietate felici fœdere connectis, uti tutiſſimorum, & inconcuſſorum D. THOMÆ Dogmatum ſectator acerrimus, ita ejuſdem Angelici Doctoris in virtutibus, præſertim fuſis ante ſtudium ad Deum precibus, & humilitate, quâ honores omnes repudiabat, æmulator.

Verùm dignitates dum ſummô ſtu-

diô

diô declinas, dum Cœnobii latebris abſcondi deſideras, ſplendidiùs Te prodis, dum altiſſimum familiæ culmen infra Te ducis, tam altè poſt ſex annos à profeſſione (poſtquam ob Theologiam Bononiæ in Comitiis Provincialibus ſubtiliſſimè propugnatam, jam Lectioni præfectus eſſes) eveheris, ut à Clemente X. feliciſſimæ recordationis ea Tibi conferatur dignitas, quæ par Regiæ dignitati eſt, Purpura, inquam, atque ita proxima Tibi ad Pontificale culmen via reſeretur.

Qui tum omnium applauſus! quæ gratulatio! nemo fuit, qui Te Purpurâ eſſe digniſſimum non arbitraretur.

At qualis rerum facies! omnes omninò laxatis gaudio habenis lætari, Tu ſolus gemere: omnes tibi gratulari, Tu gratulationes reſpuere; omnes in occurſum tui effundi, Tu eos fugere, omnes te laudibus certatim proſequi, quacumque te recipis, Tu, ut & laudibus, & Purpuræ Te ſubdu-

ducas, ad anguſtum quoddam Monaſterium confugere, inſtar Gregorii Magni, in Speluncâ, ne ad Pontificale Solium raptaretur, deliteſcentis.

Sed non eſt *profectò*, qui poſſit, *o Deus*, tuæ reſiſtere voluntati. *Eſther* 13. *Proinde, ut olim Gregorius ita Deo tum diſponente, tum volente, indiciô igneæ columnæ in ſpeluncâ deprehenſus, & ad Sanctum Petrum conſecratus fuit, ita & Tu è Cœnobii tenebris, quibus occultari deſiderabas, erutus, & Superiorum imperiô divinæ lucis officium obeunte, purpurâ indutus es, poſt plures evolutos annos, Sanctorum Petri, & Gregorii Cathedram aſcenſurus.*

At ecce ut injurias modeſtiæ per purpuram illatas Chriſtianè vindices, eandem ad omnia demiſſi animi argumenta abjicis. Modò antè Ordinis Moderatores ſupplex te proſternis, modò eam aut ad Peregrinorum pedes abluendos provolvis, aut ad ægrotos

iuviſendos, ſtipemque egentium turmæ largiùs impertiendam deducis.

Quàm Roma eadem à Te Supremo nunc Pontifice exercêri indiès non admiratur exempla? An poſſes pręſtantiùs Summi Jeſu Chriſti in terris Vicarii perſonam exprimere, quàm ipſius Chriſti, diſcipulorum pedibus, quos abluebat, ſubſtrati, premens veſtigia?

Dum quoque non ſolùm Beneventi, ſed & in Urbe Sacramenta decumbentibus adminiſtras, an poſſes aptiùs fungi Perſonâ Vicariâ illius, qui eſt ipſe author, & inſtitutor Sacramentorum?

Sed nec hîc ſiſtit palmarum ſeges. Nonne hominum corda fortiter, & ſuaviter ſub jugum mittis cum efficaciſſimô diſciplinatæ vitæ lenociniô, tum invictô facundiæ robore, dum è ſuggeſtu imitatus Chryſoſtomos, Ambroſios, Gregorios ad populum verba facis?

Sanè de magnâ Dei Parente mille,

le, nongentas, & viginti quinque Conciones cum incredibili animarum fœnore Beneventi in populum profudiſti.

Ut verò etiam poſteritati conſuleres, (præter alia plurima præclariſſima opera, ut Concilia Provincialia quotannis celebrata) centum de Deiparâ ſermones duobus tomis comprehenſos Beneventi in lucem edidiſti. Certè in eo opere perpolito, totus, quantus es, MARIAM *ſpiras, laudas, meditaris, veneraris.*

Nec defuit tantis in Cælites, præſertim Deiparam meritis ſua merces: nam quô die Beneventum horribili terræmotu ſuccuſſum, ingentique incolarum clade everſum eſt, unus reliquorum, præcipuè Virginis, ut credibile eſt, nomine Divus Philippus Nerius Deiparæ, dum viveret, cultui addictiſſimus, te Palatii ruderibus obrutum, ac propè ſepultum à præſentiſſimo interitu vindicavit.

Columnis, quibus olim domus populô refertiſſima innitebatur, concuſſis, ipſe Sampſon inter alios quondam ſuccubuit: at Sampſon nec ſupremus in lege veteri erat Dei Sacerdos, nec columnam Eccleſiæ noſtræ præfigurabat. Vincentius *verò & futurus erat Summus Eccleſiæ Moderator*, *&* columna veritatis 1. *ad Timoth*. 3. *Dirutæ igitur tibi parcunt columnæ, futuro ſpirituali Eccleſiæ columnæ, parcunt tibi ſaxa, & petræ, utpote futuro Petri Succeſſori, proindeque Eccleſiæ Petræ, cui totius ſpiritualis ædificii moles poſteà debebat incumbere*.

Sed cur Purpuram tanquam votivum trophæum ad Divi Philippi aram ſuſpendiſti?

In ſervatæ utique, reponis, per eum vitæ monumentum. At ecce in præmium ſuſpenſæ ad aram Purpuræ, tuus ille Philippus poſt plures deinde evolutos annos tergeminam tibi Tiaram

ram contulit. Tu ei præ ſummâ animi demiſſione Purpuram, ille Tibi coronam infra ejus Octavam electo Pontifici, dum aliquot ante dies in ejus honorem pane, & aquâ exegiſſes, è Cœlo donavit.

*Omnibus quidem abundè lætandi eſt ratio, ſed potiſſimùm Ordini Prædicatorum, qui modò quatuor fulget Petri ſucceſſoribus,*Innocentiô V. Benedictô XI. S. Piô V. & Benedictô XIII.

Quidni ergo Guſmanni Ordo cum Paradiſo voluptatis conferatur, ex quo quatuor prodierunt flumina, Phiſon (*Ganges*) Geon (*Nilus*) Tygris, Euphrates? *Ganges aurifer Doctrinam exprimit Innocentii V. aurô præſtantiorem, Nilus agros fœcundans fertilem Benedicti XI. virtutum copiam, quibus Eccleſiam, ſtupendâ in primis humilitate irrigavit, Tygris fluviorum rapidiſſimus reſiſtentia quæque elîdens S. Pium V. qui præter Tur-*

 cas,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cas, ſectarioſque profligatos, omnia in obſervandis Tridentinis Decretis objecta ſibi repagula evertit.

Sed nonne & hæ prærogativæ, & præſertim S. Pii invicta in reparandâ diſciplinâ Eccleſiaſticâ animi magnitudo BENEDICTI XIII. Sedem circumſtant, ornant, muniunt, tuentur?

Reſtat pro Te tamen ſingulariter Euphrates, Pater Beatiſſime. Per illum puris, & lætis undis ovantem ſolet juſtitia figurari, utpote quæ alacri animô, & ſereno vultû jus ſuum unicuique tribuit. An patereris, ut juſta infimæ ſortis litigantium cauſa per adverſarios auri pondere præpotentes deprimeretur?

Quid alias tuas memorem virtutes? quis explicatiori vultu, quàm Tu, Pater Sanctiſſime, opes unquam ſuas in ſinum pauperum in hoc S. Pauli I. URSINI premens veſtigia congeſſit? Quis impoſita exactiùs exer-

cet

cet Apoſtolatûs munia? Nonne Tu ipſe manus ſacratiſſimas variis tum Epiſcopis, tum ipſis quoque Sacerdotibus, aurea priſcæ Eccleſiæ renovans tempora, imponis? Faxit Deus, ut plures à Te conſecrati in Antiſtites in totidem emergant Timotheos.

Vive igitur diu, ad conſervationem Juſtitiæ, ad ſolamen egentium, receptionem Peregrinorum, ſalutem Infirmorum, vive ad integritatis, morum probitatis, diſciplinæ Eccleſiaſticæ incrementum, vive ad Hereticorum, qui ob illibatam, caſtigatamque vitam in tui admirationem rapiuntur, reſipiſcentiam, eorumque ad Ovile, in quo Majores eorum fuerunt, regreſſum; ad Peregrinantium omnium, qui ex diſſitis Chriſtiani Orbis partibus ad promulgatum jam Jubilæum promerendum religiosâ animi alacritate concurrent, quà corporale, quà ſpirituale virtutibus tuis alimentum, de-

nique vive diù ad Ordinis noſtri, cujus Te eſſe filium unicè gloriaris, immortale decus, ſplendorem, & ornamentum, tandemque poſt hæc denamentum cur ſa ærumnoſæ vitæ ſtadia ad Beatitudinem vive ſempiternam.

Ad Tuos interim Pedes ſupplex provolutus, Sacram Benedictionem Tuam pronus expoſco, & Opuſculum hoc infallibili Sanctitatis Tuæ judicio in omnibus ſubſterno.

F. Franciſcus Van Ranſt S. Ord. FF. Prædicatorum Theologus Caſanatenſis.

NOS

NOS FRATER

AUGUSTINUS PIPIA

Sacræ Theologiæ Profeſſor, totius Ordinis FF. Prædicator. humilis Magiſter Gen., & Servus.

TEnore præſentium, Noſtrique Authoritate Officii licentiam facimus Reverendo Admodùm Patri Fratri Françiſco Van Ranſt S S. Theologiæ Magiſtro, ac in Collegio Caſanatenſi Conventûs Sanctæ Mariæ ſuper Minervam de Urbe Theologo, Provinciæ Noſtræ Germaniæ Inferioris Alumno, Typis edendi Opuſculum, cui titulus eſt: *Opuſculum de Indulgentiis, & Jubilæo, præſertim Anni Sancti jam imminentis, cum omnibus caſibus haſce materias in praxi concernentibus*, dummodò priùs approbatum fuerit à duobus Ordinis Noſtri in Theologia Magiſtris, & aliàs ſervatis de Jure ſervandis. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Conventu Noſtro S. Mariæ ſuper Minervam. Die 18. Auguſti Annô 1724.

Fr. Auguſtinus Pipia Mag. Ordinis.

Regiſtr. lit. P. pag. 126.

Fr. Conſtantinus Lemmichen Magiſter, & Socius Reverendiſſimi.

AP-

APPROBATIO.

QUod olim Eminentiſſimus D. Cardinalis Caſanate, non minus Sapientiâ, ac pietate, quàm purpurâ toti Orbi conſpicuus, de Doctrina Divi Thomæ Aquinatis optabat, *felicem* inquiens *Orbem fore, ſi* UNA *Ejus Doctrina ubique obtineret, ſi* UNUS *audiretur, ac conſuleretur in rebus dubiis*; Hoc egregiè præſtat in Opuſculo *de Indulgentiis & Jubilæo, præſertim Anni Sancti* Reverendus admodum Pater Fr. FRANCISCUS VAN RANST SS. Theologiæ Magiſter, ac Collegii Caſanatenſis Theologus. Totam quippe hanc materiam ſolidâ D. Thomæ Doctrinâ clarè, & eleganter expendit, Caſuſque emergentes maturè reſolvit. Proinde, cum in dicto Opuſculo nihil etiam à Fide Catholica, aut probis moribus reperiatur alienum, cenſeo illud prælô dignum, & ut ab omnibus pervolvatur. Datum Romæ ad S. Mariam ſuper Minervam die 6. Septembris Anno 1724.

Fr. Conſtantinus Lemmichen Magiſter, & Socius Germaniæ.

De

DE Mandato Reverendiſſimi Patris Fratris Auguſtini Pipia totius Ordinis Prædicatorum Magiſtri Generalis, attentâ mente evolvi Opuſculum *de Indulgentiis, & Jubilæo, præſertim Anni Sancti*, elaboratum à Reverendo admodum P. Fr. FRANCISCO VAN RANST Sacri Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiç Doctore, & Collegii Caſanatenſis Theologo. Sanè elucubratio hæc hiſce temporibus, circumſtantiis ſcilicet Jubilæi *Anni Sancti*, peropportuna eſt: cumque Auctor hanc materiam inconcuſsâ, & tutiſſimâ Divi Thomæ Doctrinâ, à Summis Eccleſiæ Moderatoribus tot certatìm Encomiis celebratâ, tanti Doctoris ſemper premens veſtigia ubique perſpicuè, ſolidè, & graviter expendat, omneſque caſus hìc occurrentes, maturô judiciô, ſtylô eleganti, & clarâ facilitate expediat, nihilque offenderim, quod Fidei Catholicæ, & caſtis moribus refragetur, illud prælô digniſſimum exiſtimo, & ut omnium tum Theologorum, tum Confeſſariorum manibus teratur. Datum Romæ in Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Minervam. Die 6. Septembris anno 1724.

Fr. Joannes Michael Tagliarini Magiſter, & Reverendiſſimi Socius.

Imprimatur,
Si videbitur Reverendiſs. P. Mag Sac. Pal. Apoſt.
N. Baccarius Ep. Bojan. Viceſg.

Imprimatur.
Fr. Gregorius Selleri Ord. Præd. S. P. A. Mag.

PRÆ-

PRÆFATIO.

Quamvis nulla temporis momenta decurrant, quæ divinis non ſint referta muneribus, & nunquam per Dei gratiam ad inexhauſtam ejus miſericordiam nobis aditus præcludatur, *Annô* tamen *Sanɛ̃to* ſingularia quædam à divinâ largitate ſperanda ſunt ſpiritualium Chariſmatum dona, & beneficia; ac tantò ampliora, quantò majori fervore mentes Fidelium ad univerſa Religioſæ pietatis opera convenit inflammari.

Audite igitur hæc omnes Gentes, quæ Orthodoxam profitemini religionem, inquit BENEDICTUS XIII. in Bullâ promulgationis Jubilæi, *auribus percipite, qui habitatis Orbem Reges terræ, & omnes Populi, dum*

an-

annuntiamus vobis, & Evangelizamus annum Domini placabilem, annum redemptionis, & veniæ peccatorum.

Annus eſt expiationis, annus gratiæ, vitiorum extirpationi, ſanctorumque operum exercitationi ſpeciatim conſecratus.

Itaque odia mutentur in dilectionem, inimicitiæ pacem induant, ſubsîdat ira, eam extinguat tranquillitas; manſuetudo remittat injuriam, jejunium impuritatis delubra in templa Spiritûs Sancti erigat, malè parta alacriter reſtituantur, oratio ſpiritum à terrenis rebus avulſum in cœleſtium contemplationem rapiat. Excitetur viva fides, columna illa lucis de Ægypto tenebrarum, & errorum ducatu ſuo intellectum humanum educens, nos animet ſpes firma, anchora ſalutis noſtræ, ardens charitas, currus ille igneus Eliæ accendat, & inflammet

cor-

corda noſtra: atque ita quilibet omnium virtutum exemplis inſtructus ad Almam Urbem,quondam Gentilitatis, nunc principem Religionis ſedem ex omnibus, quà latè patet, Orbis terræ partibus concurrat.

Sed profectò inter exuberantia animorum in hiſce inſtantis Jubilæi circumſtantiis gaudia, lacrymas cuilibet præ ſingulari terminorum teneritudine eliciant, neceſſe eſt verba hæc in præfatâ Bullâ contenta, tantô digna Pontifice. *Utinam*, inquit, *comites ſeſe vobis* (Catholicis) *adjungerent, & ſacram hanc peregrinationem unà vobiſcum aggrederentur filii olim noſtri, nunc autem deſertores, & transfugæ, quorum progenitores veterum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum tempore, ad ſanctam ejuſmodi celebritatem ex omni Populo, & Natione frequentiſſimos conveniſſe antiqua monumenta teſtantur. Nihil enim Nobis optatius neque*

que jucundius accidere poſſet, quàm ut ipſi ad fidem Patrum ſuorum, à quâ infeliciter cum manifeſto æternæ ſalutis diſcrimine deſciverunt, reverterentur, adeòque Nobis paterni amoris in ſinu eos excipere, & complecti liceret. Quâ in re .. *miſerum errantium ſtatum jugibus lacrymis deflemus, & à Divinâ Clementiâ flagitare non deſiſtimus, ut ipſis veritatis ſuæ lumen oſtendere non dedignetur.* Potuiſſetne Pontifex Orbis Catholici Moderator, ac Pater optimus effuſum in filios olim ſuos affectum, propenſionem, viſcera teneriùs, & luculentiùs exprimere?

Olim ob punctum Indulgentiarum, quibus ſiniſtras ideas, & errores Lutherus affricuerat, ingens Germaniæ portio, vicinæque nonnullæ Provinciæ ab avitâ fide defecerunt, Indulgentiarum modò, imminentis Jubilæi occaſio, vos omni fugatâ è mentibus veſtris caligine,

ad Eccleſiæ Ovile, (in quo Majores veſtri tot retroactis ſæculis fuerunt) Deo opitulante, reducat, ut in eo ſalutari doctrinæ pabulo tum nutriamini, tum ei feliciter immoriamini. *Supra cathedram Petri ædificatam Eccleſiam ſcio, quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in Arcâ Nöe* (Eccleſiâ) *non fuerit, peribit, regnante diluviô.* D. Hieronymus epiſt. 57.

Æternum à vobis diluvium Deus arceat; Pontifex, cujus conſpicuam, caſtigatamque vitam veneramini, jugibus lacrymis; aquis, inquam, ex imo pectore depromptis aquas illas, quantùm in ſe eſt, à vobis avertit, ſi ei coöperari, ſi ad Eccleſiæ gremium redire, ſi in paternos amplexus ruere velitis.

OPU-

OPUSCULI

PROOEMIUM.

1. JAM expectatus hujus currentis ſæculi vigeſimus quintus imminet annus, quô Romana Eccleſia theſauros ſuos reſerat, & effuſiſſimâ liberalitate cœleſtes divitias unicuique exhibet, à quolibet præviis fulto diſpoſitionibus comparandas.

2. Cæterùm plures hìc occurrunt caſus, quàm nonnulli exiſtimant. Quare principes de *Indulgentiis*, *& Jubilæo, præſertim Anni Sancti*, quæſtiones duxi eſſe, faventibus Superis, diſcutiendas.

Innumeras quidem multorum Authorum, qui hanc de Jubilæo Provinciam tractarunt, tricas ſuſtulit Clemens X. 1. Februarii 1675. per editam expreſſionem Gratiarum, ac Declarationum occaſione Jubilæi penultimi *Anni Sancti* factarum: attamen omnes omnino non ſunt eliminatæ, variis etiamnum variè circa hanc materiam ſentientibus, cum tandem optandum foret, ut ſi unquam alibi, eſſet eadem cunctorum hoc in negotio ſententia.

3. Satagam igitur, ut duce Doctore Angelico, cujus irrefragabilis eſt in Eccleſia authori-

tas, quæſtiones omnes hanc circa materiam ventilatæ unicè dirimantur.

Nobile Cardinalis Caſanate de D. Thomæ doctrinâ teſtimonium.

Profectò non immeritò Cardinalis Caſanate non minùs ſapientiâ & pietate, quam purpurâ toti Orbi conſpicuus hoc prænobile de Divo Thoma inter alia, dum viveret, protulit teſtimonium. *Felicem*, dicebat, *Orbem fore, ſi una D. Thomæ Doctrina ubique obtineret, ſi unus in Scholis, & Academiis Thomas Doctor audiretur, ac conſuleretur in rebus dubiis.*

Dubia igitur, quæ hîc occurrent, ad amuſſim Doctrinæ Thomiſticæ expendemus, & reſolvemus.

Diviſio Opuſculi.

4. Opellam in haſce quæſtiones partiemur. Prima erit, an per Indulgentiam poſſit aliquid remitti de pœnâ ſatisfactoriâ, & an talis theſaurus ſit agnoſcendus in Eccleſiâ. 2. An Indulgentiæ tantùm valeant, quantùm ſonant, ſeu pronuntiantur. 3. Quis poſſit concedere Indulgentias, & quæ cauſa requiratur ad Indulgentias concedendas. 4. De peregrinationibus ſacris, de Jubilæo, præſertim *Anni Sancti*, & quid contineat. 5. De ſuſpenſione Indulgentiarum, aliarumque facultatum durante Jubilæo *Anni Sancti*. 6. De diſpoſitione ad lucrandum Jubilæum requiſitâ. 7. De operibus pro Jubilæo injunctis, ut de Eccleſiarum viſitatione, jejuniô, eleemoſynâ, confeſſione, communione. 8. De perſonis impeditis, ut Sanctimonialibus, incarceratis, & infirmis, quæ etiamnum poſſunt lucrari Jubilæum. 9. De Confeſſarii poteſtate in ordine ad Cenſuras. 10. De eadem poteſtate circa peccata reſervata. 11. De poteſtate Confeſſarii in ordine ad commutationem Votorum. His ſubjungetur præfata expreſſio Gratiarum

rum

rum data per Clementem X., cui ſe conformavit Innocentius XII. 24. Januarii, & 6. Martii 1700. occaſione ultimi Anni Sancti tunc temporis decurrentis. 12. Erit de reliquis dubiis hanc materiam concernentibus.

Sit igitur

QUÆSTIO I.

An per Indulgentiam poſſit aliquid remitti de pœnâ ſatisfactoriâ.

I. Circa hanc materiam errarunt olim *Waldenſes* Sæculô 12. *Joannes Wicleff* Sæculô 14. Potiſſimum verò *Lutherus*, qui Sæculô 16. à puncto Indulgentiarum, in quas id temporis nonnulli abuſus irrepſerant, tetram ſuam hæreſim (quâ brevì Germania, vicinæque Provinciæ Dania, Norvegia, Suecia, intimique Septentrionis receſſus conflagrarunt) infeliciſſimè auſpicatus eſt. De his vide librum noſtrum, *de hæreſibus* pag. 558. *Errores Lutheri circa hanc materiam.*

Correptis itaque crebrò pro concione abuſibus, in ipſam Indulgentiarum virtutem invectus eſt, contendens *& poteſtatem illas concedendi non eſſe in Eccleſiâ, & per illas nihil cuipiam poſſe remitti de pœnâ ſatisfactoriâ pro peccatis in Purgatorio luendâ, talemque theſaurum, in quo merita Chriſti, Deiparæ, & Sanctorum contineantur, & indè fidelibus juxta requiſitam in illis diſpoſitionem applicentur, non eſſe in Eccleſiâ agnoſcendum.*

Quantùm ad abuſus præfatos, ſic Concilium Tridentinum Seſſ. 25. *Abuſus, qui in has Indulgentias irrepſerunt, & quorum occaſione inſigne*

hoc Indulgentiarum nomen ab Hæreticis blaſphematur, Sacroſancta Synodus emendatos, & correctos cupiens præſenti decretô generaliter ſtatuit, pravos quæſtus omnes pro his conſequendis, unde in Chriſtiano populo plurima abuſuum cauſa fluxit, omnino abolendos eſſe. Quibuſdam verò interjectis ſtatutis, hiſce tandem verbis concludit. *Sanctarum Indulgentiarum munus piè, ſanctè, & incorruptè ſervetur. Poteſtas enim eas conferendi à Chriſto Eccleſiæ conceſſa eſt, earumque uſus Chriſtiano populo maximè eſt ſalutaris.* Ibidem.

2. Porro D.Thomæ temporibus nonnulli aſſerebant, quòd per Indulgentiam remitterentur ſolùm pœnæ per Eccleſiæ Miniſtros impoſitæ, non autem pœnę Purgatorii. *Quidam dicunt* (inquit S. D. in ſuppl. quæſt. 25. art. 1. in corp.) *quod Indulgentiæ non valent ad abſolvendum à reatu pœnæ, quam quis in Purgatorio ſecundùm judicium Dei meretur, ſed valent ad abſolvendum ab obligatione, quâ Sacerdos obligavit pœnitentem ad pœnam aliquam, vel ad quam etiam obligatur ex Canonum ſtatutis. Sed hæc opinio non videtur vera. Eccleſia enim hujuſmodi Indulgentias faciens, aliquem magìs damnificaret, quam adjuvaret, quia remitteret eum ad graviores pœnas, ſcilicet Purgatorii, abſolvendo à pœnitentiis injunctis.*

Error D. Thomæ temporibus circa eandem.

Hôc dogmate exploſô, aliquot concluſionibus refelluntur præfati Lutheri errores.

Poteſtas concedendi Indulgentias eſt in Eccleſia.

Concluſio prima.

3. *Poteſtas concedendi Indulgentias eſt in Eccleſia.*

Probatur aſſertio ex Matth. 16. ubi dicitur Petro, *quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis.* Cum enim hæc verba ſint generalia, continent proinde omnem poteſtatem tollendi quælibet vincula, & obſtacula,

qui-

quibus homines impediri queunt ab ingreſſu patriæ, inter quæ ſunt peccata, tam quoad pœnam, quam quoad culpam. Promittitur ergo illis verbis Petro, adeoque & ejus ſucceſſoribus ſumma poteſtas non ſolùm abſolvendi à peccatis in Sacramento pœnitentiæ, ſed etiam à cenſuris, pœniſque, quæ hominem quôvis modô ligatum tenent, & remorantur à conſecutione vitæ æternæ; proinde & promittitur poteſtas concedendi Indulgentias: promiſſa autem circa prædicta omnia poteſtas actu Petro commiſſa fuit Joannis 20.

Cæterùm illa poteſtas debet intelligi data ad ſolvendum juxta naturam, & conditionem eorum, quæ ſolvuntur: conditio autem culpæ mortalis eſt, ut remitti nequeat ſine infuſione gratiæ; hanc verò Miniſtri Eccleſiæ nequeunt in aliis cauſare, niſi per Sacramenta, & ideò à culpis mortalibus abſolvere nequeunt extra Sacramentum: abſolvere tamen poſſint extra Sacramentum à reatu pœnæ, quia reatus iſte ut tollatur, non poſtulat infuſionem gratiæ, ſed eam præſupponit.

Hinc Indulgentia definiri poteſt; *pœnæ, peccatis quoad culpam remiſſis debitæ remiſſio facta extra Sacramentum ab eo, qui habet ſpiritualem juriſdictionem diſpenſandi theſaurum Eccleſiæ.*

4. Eccleſia hâc poteſtate antiquiſſimis eſt uſa temporibus, ut patet ex facto Pauli, qui *donavit* inceſtuoſo (2. ad Corinth. 2.) partem pœnæ, quam ſubire debebat, idque *in perſonâ Chriſti*, id eſt, ac ſi Chriſtus donaſſet.

De illo facto Pauli ſic Angelicus locô citatô. Donavit Paulus *in perſona Chriſti, ſed Chriſtus poterat relaxare abſque omni propria ſatisfa-*

ctione pœnam peccati, ut patet Joan. 8. de Muliere adulterâ: Ergo & Paulus potuit, ergo & Papa poteſt, qui non eſt minoris, imo majoris poteſtatis in Eccleſia, quàm Paulus fuit.

Continuatio deinde ejuſdem poteſtatis imprimis obſervatur temporibus D. Cypriani, dum ad commendationem Martyrum carcere detentorum Eccleſiæ Præpoſiti partem pœnarum pœnitentibus relaxabant. Atque ita perpetuò Eccleſiæ Præſules pro majori fervore pœnitentium, ac ob alias cauſas minuere ſoliti ſunt tempora pœnitentiæ, ſeu pœnarum, ut vocant, Canonicarum, id quod jam vocamus, *concedere Indulgentias*.

5. Ex his liquet, quòd Indulgentiarum origo non ſit referenda in S. Gregorii tempora, circa quæ Eccleſiam Romano-Catholicam defeciſſe ajunt Sectarii, etſi verum ſit, quòd eorum nomen tunc magis in uſu eſſe cœperit.

Concluſio ſecunda.

Per Indulgentiam remittitur pœna peccatis remiſſis in Purgatorio debita.

6. *Per Indulgentiam verè remittitur pœna pro peccatis remiſſis in Purgatorio luenda.*

Probatur primò. Quia poteſtas Clavium Eccleſiæ propriè reſpicit futurum ſæculum: ideo enim vocantur claves Cœli.

Secundò, Chriſtus promiſit ſolutum fore apud Deum in Cœlo, quidquid Petrus ſolverit ſuper terram: id igitur, quòd per Indulgentias ſolvit Petrus, ſeu Petri Succeſſor in terra, eſt ratum coram Deo, ſeu in Cœlo.

Unde famoſa condonatio exercita erga inceſtuoſum 2. ad Corinth. 2. perinde fuit in judicio Dei rata & efficax, ac ſi Chriſtus ipſe condonaſſet: id enim præſtitit Paulus vice, & authoritate Chriſti.

De-

Denique. Si per Indulgentiam pœna Purgatorii de peccatis remiſſis debita non remitteretur, incideretur in illud à D. Thoma ſuperiùs allegatum, & profligatum dogma, à quo error Lutheri vix diſcrepat. *Indulgentias*, inquit, *faciens*, non condonans pœnas Purgatorii, *magis damnificaret*, *quàm adjuvaret*, *quia remitteret eum ad graviores pœnas, ſcilicet Purgatorii*, *abſolvendo à pœnitentiis injunctis*. Non ſolùm igitur per Indulgentias remittuntur v. g. pœnitentiæ canonicæ, ut erant inter alias pœnitentiæ quadraginta dierum, aut unius, pluriumve annorum, quæ tanto tempore peragi debuiſſent, ſed etiam pœnæ in futuro ſeculo, aliquô tempore ſubeundæ, nec illæ ſolùm, at & omnes planè pœnæ in Purgatorio luendæ, ut fit in Indulgentiis plenariis, ſi requiſitæ adſint conditiones, de quibus infra.

7. Porro fundantur Indulgentiæ, quæ tanta operantur, in communione bonorum operum. Membra enim unius corporis *Myſtici*, non ſecùs, ac Phyſici inter ſe communicant: atque ita primariò infinita Chriſti merita, in Charitate exiſtentibus (in quos jugiter ille, ut caput in membra influit) applicantur ab Eccleſia per modum ſolutionis pœnarum temporalium, dimiſſis eorum peccatis debitarum, ſecundariò autem, & dependenter à Servatoris meritis bona Sanctorum opera, quæ reſpectu ipſorum ſuperabundantia fuerunt in ratione *Satisfactionis*, ab illa iiſdem in gratiâ exiſtentibus aſſignantur tanquam propria ob dictam communionem, in qua pro Indulgentiis lucrandis injuncta obeunt pietatis officia.

Theſaurus Eccleſiæ, Indulgentiarũ fundamentum.

8. Ex illa communione bonorum operum exurgit theſaurus Eccleſiæ, conflatus ex Chriſti, & Sanctorum meritis.

Sed juvat audire ipſum Doctorem Angelicum hâc de re locô citatô ſolidiſſimè diſcurrentem. Ratio, inquit, quare valêre poſſint (In„ dulgentiæ) eſt unitas Corporis myſtici, in qua „ multi in operibus pœnitentiæ ſupererogaverunt „ ad menſuram debitorum ſuorum, & multas etiam „ tribulationes injuſtas ſubſtinuerunt patienter, „ per quas multitudo pœnarum poterat expiari, ſi „ eis deberetur: quorum meritorum tanta eſt co„ pia, quòd omnem pœnam debitam nunc viven„ tibus excedunt, & præcipuè propter meritum „ Chriſti, quod etſi in Sacramentis operatur, „ non tamen efficacia ejus in Sacramentis includi„ tur, ſed ſua infinitate excedit efficaciam Sacra„ mentorum. Dictum eſt autem ſupra, quòd unus „ pro altero ſatisfacere poteſt. Sancti autem, in „ quibus ſuperabundantia operum ſatisfactionis „ invenitur, non determinatè pro iſto, qui remiſ„ ſione indiget, hujuſmodi opera fecerunt, aliàs „ abſque omni Indulgentia remiſſionem conſeque„ retur; ſed communiter pro tota Eccleſia, ſicut „ Apoſtolus ait ſc *adimplêre ea, quæ deſunt paſſio„ num Chriſti in carne ſua pro Eccleſia*, Coloſſ. 1. & „ ſic prædicta merita ſunt communia totius Eccle„ ſiæ. Ea autem, quæ ſunt alicujus multitudinis „ communia, diſtribuuntur ſingulis de multitudi„ ne ſecundùm arbitrium ejus, qui multitudini præ„ eſt. Unde ſicut aliquis conſequeretur remiſſio„ nem pœnæ, ſi alius pro eo ſatisfeciſſet; ita ſi „ ſibi ſatisfactio alterius, per eum, qui poteſt, di„ ſtribuatur.

Emergit igitur theſaurus Eccleſiæ ex ſatiſfactionibus *Chriſti*, & *Sanctorum*, quæ reſpectu ipſorum ſuperabundantes fuerunt in ratione ſatisfactionis, & ex mente eorum ſaltem gene-

rali manſerunt in Eccleſiâ ad uſum aliorum, qui proprias ſatis non haberent.

De his Prælati Eccleſiæ diſpenſant primùm per modum ſolutionis, eas divinæ juſtitiæ exhibendo, deinde per modum abſolutionis, earumdem conſideratione remittendo pœnas debitas. Hoc tamen ultimum in Defunctis Indulgentię locum non habent, quia illi non ſubſunt Eccleſiæ Militanti, etſi etiamnum ſint in Communione Sanctorum cum illa; unde tantùm illis proſunt Indulgentiæ per modum Suffragii. De his infra fuſiùs.

Atque ex his jam ſatis, ſuperque elucet, quam rectè Tridentinum aſſerat, *Indulgentiarum uſum Chriſtiano populo maximè eſſe ſalutarem*, quia nimirum & peccatis per confeſſionem fideles ſoluti, & eorum pœnis liberati in alio Sæculo citiùs ad Dei conſpectum perveniunt.

9. Sit nunc Concluſio tertia.

Theſaurus ille, ex quo merita Chriſti, Deiparæ, & Sanctorum juxta jam dictam bonorum operum communionem fidelibus ſecundùm diſpoſitionem requiſitam, applicentur, eſt agnoſcendus in Eccleſia.

Probatur. Non ſolùm Chriſti, ſed & Deiparæ, pluriumque Sanctorum opera fuerunt ſuperabundantia. Licèt enim ex ſingulari Dei privilegio peccatis omnibus, etiam venialibus totâ vitâ caruerit, ideòque nullâ ſatisfactione indiguerit: conſtat tamen, quòd Virgo Mater maximos dolores pro amore Dei paſſa ſit. Joannes Baptiſta etſi pauciſſimis, iiſque leviſſimis culpis eſſet obnoxius, vitam tamen duxit maximè auſteram, & ſanguinem pro veritatis defenſione profudit. Apoſtoli, quamvis *nihil ſibi forent conſcii*. *Theſaurus ille eſt agnoſcendus in Eccleſia.*

ſcii.

ſcii. 1. ad Corinth. 4. *caſtigabant* tamen *corpus ſuum* cap.9. Ab impiis cædebantur, labores, carceres, vincula, & tandem per ingenia crudelitatis mortem perpeſſi ſunt. Confeſſores, Virgines, & aliæ quædam mulieres ſanctiſſimè viventes, vitam pœnalem, prolixam, & duram traduxerunt. Tanta igitur opera reponenda ſunt in theſauro Eccleſiæ, applicanda indigentibus, quatenùs ſunt ſatisfactiones, proinde theſaurus ille in Eccleſia agnoſcendus eſt.

10. Confirmatur. Duplex bonorum operum qualitas agnoſcenda eſt: una, quatenùs pœnalia ſunt, & laborioſa; altera, quatenus ex charitate proficiſcuntur. Propter illam dicuntur ſatisfactoria, propter hanc meritoria: fierique poteſt, ut id, quod alicui eſt meritorium, non ſit eidem ſatisfactorium, ſi ſcilicet nullâ remiſſione pœnæ indigeat: Sic quamvis Chriſti opera non fuerint ei ſatisfactoria, fuerunt tamen ei meritoria. Pluribus id etiam de Sanctis dicendum eſt, quorum opera licèt fuerint præmiata, quatenùs erant meritoria, non tamen fuerunt præmiata, quatenùs erant ſatisfactoria, adeòque, ne, in quantùm ad ſatisfaciendum valent, ſuo priventur effectu, ſervari debent in Eccleſiæ theſauro, iis, qui indigent, applicanda, in quantùm ſunt ſatisfactoria.

Object. 11. Hinc ſolvitur commune illud, & quod Lutherus continuò producebat, argumentum. Sanctorum opera ſufficienter, imo, ut probabiliùs docent Theologi, ultra condignum præmiata ſunt, ergo ex eis nihil reſtat, quod in Theſauro recondatur.

Reſp. R. igitur diſtinguendo conſequens: ergo ex eis nihil reſtat, quod in theſauro recondatur, nihil

hil ex eis reſtat, quatenùs ſunt meritoria, concedo conſequentiam, quatenùs ſunt ſatisfactoria, nego conſequentiam.

12. Contra. *Object.*

Infinito nihil poteſt addi; Chriſti autem opera, ſeu merita ſunt infinita, & infinita eſt ejus ſatisfactio, ergo ad illa non poſſunt addi opera Sanctorum, etiam quatenùs ſunt ſatisfactoria.

R. Diſtinguendo majorem. Infinito nihil poteſt addi in eo genere; in quo eſt infinitum, concedo majorem, in alio genere, nego majorem. Chriſti autem opera, ſeu ſatisfactiones ſunt infinitæ intenſivè, ſeu quoad virtutem. Sic igitur ſatisfactiones Sanctorum non adduntur ſatisfactionibus Chriſti intenſivè, quaſi majorem valorem eis tribuant, illæ enim ſunt valoris intenſivè infiniti, ſed adduntur ſecundùm extenſionem, ſeu extenſivè, in quantùm theſaurus Eccleſiæ acceſſione operum, quæ Sancti præſtiterunt, efficitur major, quoad numerum meritorum. *Reſp.*

Ideò autem merita Sanctorum (quà ſatisfactoria ſcilicet) in Theſauro Eccleſiæ reponuntur; primò, ut ea, quæ illis fuerunt ſuperflua, non ſint otioſa. Secundò, ut Sancti hoc honore gaudeant. Tertiò, ut efficacia meritorum Chriſti magìs eluceſcat, quæ non tantùm per ſe poſſunt tum peccata, tum pœnas peccatis dimiſſis debitas remittere, ſed etiam efficere, ut merita Sanctorùm quatenùs ſatisfactoria, habeant vim expiandi reatum pœnæ temporalis poſt culpam dimiſſam reſtantis.

Neque verò hinc ſequitur, theſaurum Eccleſiæ poſſe aliquando exhauriri: merita enim Chriſti,

ſti, quibus potiſſimùm conſtat ille theſaurus, & quibus ipſæ ſatisfactiones Sanctorum innituntur, (omnis enim illorum, & quæcumque noſtra ſatisfactio efficaciam haurit ex ſatisfactione Chriſti) ſunt infinita.

Object. 13. Objicies ſecundò. Chriſto proprium eſt, eſſe Redemptorem, ſed ſi vera foret concluſio, ſequeretur & Sanctos eſſe noſtros redemptores, ut qui nos liberarent reatû pœnæ, ergo Sanctorum ſatisfactiones nequeunt nobis applicari.

Reſp. R. Negando minorem. Ut enim quiſpiam dicatur ſimpliciter redemptor, oportet, ut per ſatisfactionem nos eripiat è ſervitute peccati tam quoad culpam, quam quoad pœnam, & hoc eſt proprium Chriſto. Liberare autem reatû pœnæ reſtantis, non eſt redimere ſimpliciter, unde & hoc Sanctis poteſt competere per ſatisfactiones ſuas, innixas ſatisfactionibus Chriſti.

14. Cæterùm Indulgentiæ dandæ ſunt, *adhibitâ moderatione, ne nimiâ facilitate Eccleſiaſtica diſciplina enervetur*. Tridentinum locô præcitatô.

In Indulgentiis non poteſt confeſſarius omittere injunctionem ſatisfactionis Sacramentalis.

Ne eadem quoque diſciplina enervetur, ac ne Sacramentum pœnitentiæ ſit mutilum, debet confeſſarius, & in Indulgentiis plenariis, & in ipſo Jubilæo injungere pœnitentibus ſatisfactionem, quæ eſt pars integralis pœnitentiæ, quęque eſt de jure Divino, adeòque quæ à Pontifice nequit relaxari.

Proinde non ſolùm pœnitentia imponenda eſt medicinalis, ſeu quæ eſt præſervativa à peccatis, ut ſi laſcivo adoleſcenti præcipiat Confeſſarius, ne tranſeat per plateam quandam, in qua illi eſt occaſio proxima peccandi, ſed etiam, quatenùs eſt ſatisfactiva; idque etiam ex ipſis paſſim Bullæ verbis colligitur,

15. Petes, an Indulgentia ſit ſolutio, & non, abſolutio?

Senſus eſt, an ſit nuda perſolutio pretii ex ſuperabundantia meritorum Chriſti, Deiparæ, & Sanctorum pro pœna reſtante; & non remiſſio, vel relaxatio, aut abſolutio pœnæ.

Dico primò.

Indulgentia, quæ conceditur vivis, eſt abſolutio cum ſolutione conjuncta.

Indulgentia vivis conceſſa eſt abſolutio cum ſolutione cõjuncta.

Probatur. Poteſtas concedendi Indulgentias fundatur in poteſtate clavium, poteſtas autem clavium, eſt poteſtas abſolvendi, illa verò non exercetur, niſi in ſubditos, qui ſunt ſoli vivi, ergo Indulgentia, quæ conceditur vivis, eſt abſolutio.

Unde Martinus V. in fine Concilii Conſtantienſis tribuens Indulgentiam, dicit, *ſe abſolutionem concedere*.

Suffragatur & D. Thomas in ſuppl. quæſt. 26. art. 2. ad 2. ubi ſic ait. *Per Indulgentias abſolvitur aliquis à pœnâ injunctâ, vel debitâ pro peccato*.

Quòd etiam ſit ſolutio, probari poteſt ex eo, quod Prælati Eccleſiæ non ſe habeant, ut domini abſoluti, qui poſſint pro arbitrio pœnas condonare, ſed ut judices, qui ex poteſtate quidem ſibi conceſsâ reos abſolvant, ita tamen, ut aliunde ſatisfiat divinæ juſtitiæ, per applicationem ſcilicet ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum. *Faciens Indulgentias*, inquit, S.D. q. 25. a. 1. ad 3. *Solvit pœnam de bonis Eccleſiæ communibus*.

16. Dico ſecundò.

Indulgentia conceditur Defunctis per modum ſolutionis tantùm, non verò abſolutionis.

Indulgentia pro Defunctis eſt tãtùm per

Probatur. Poteſtas clavium, cui innititur po-

modum ſo- poteſtas concedendi Indulgentias, eſt poteſtas *lutionis.* abſolvendi, ſed illa non exercetur niſi in ſubditos, qui ſunt ſoli vivi, non verò defuncti, ergo Indulgentia non conceditur defunctis per modum abſolutionis; ſed tantùm per modum ſolutionis, Deo offerendo pretium de theſauro pro eorum debitis.

Obiect. 17. Dices adverſùs primam concluſionem.

Nemo poteſt abſolvere ſeipſum, ſi igitur Indulgentia, quæ conceditur vivis, ſit abſolutio cum ſolutione conjuncta, ſequeretur, Pontificem non poſſe eſſe participem Indulgentiarum.

Reſp. R. 1. negando ſequêlam. Poteſt enim Pontifex participare Indulgentias; committendo ſuo Confeſſario, ut eum, ſicut alios abſolvat à culpâ, per Sacramentum pœnitentiæ: utendo deinde pro expiatione pœnæ, quæ fit per Indulgentiam, illis rebus, quas aliis conceſſit. Accedit enim ad participandas Indulgentias, non tanquam Prælatus, ſed tanquam unus de grege Chriſti, cui illæ ſunt communiter propoſitæ. Solutioni favet S. D. in ſuppl. q. 27. art. 4. ad 1. *actum juriſdictionis*, inquit, *non poteſt aliquis in ſeipſum exercêre, ſed eis, quæ authoritate juriſdictionis dantur aliis, poteſt etiam Prælatus uti in ſpiritualibus*.

18. R. 2. Quòd Pontifex per Indulgentias poſſit ſeipſum directè abſolvere, exercendo erga ſeipſum juriſdictionem gratioſam. Quamvis enim juxta juriſperitos, nemo poſſit juriſdictionem coactivam in ſeipſum exercêre, poteſt tamen gratioſam. Unde ex *L. ſi conſul, ff. de adoptione*, filius familias factus Præſes poteſt ſeipſum emancipare.

Obiect. 19. Neque dicas inter dantem, & accipientem requiri diſtinctionem perſonarum, ergo

Pon-

Pontifex nequit ſeipſum per Indulgentias directè abſolvere.

R. Enim id univerſaliter non eſſe verum, ſed tantùm exigi diſtinctionem perſonarum, dum id requiritur ex ſpeciali natura rei, quæ datur. Unde interdum idem poteſt ſuſtinêre vices plurium perſonarum. Ita v. g. poteſt idem eſſe diſpenſator & pauper, & ſic eleëmoſynas pauperibus diſpenſandas ſibimet erogare: quidni ergo poterit Pontifex eſſe diſpenſator theſauri Eccleſiaſtici erga ſeipſum? itaque actus juriſdictionis coactivæ, ſeu punitivæ erga ſemetipſum, exercêri nequit: pariter in actu ſententiæ juriſdictio universìm diſtinctionem perſonarum expoſcit, cum nemo debeat ſeipſum condemnare, aut abſolvere, unde nemo poteſt ſeipſum abſolvere abſolutione Sacramentali. Actus etiam juriſdictionis contentioſæ, quæ teſtium probationem requirit, ſtare nequit ſine diſtinctione perſonarum; cum ſit iniquum, eundem ſibimet jus dicere contra jus ab adverſario intentum. Juriſdictio verò purè gratioſa, qualis eſt in largitione Indulgentiarum, exercêri poteſt erga ſeipſum. *Reſp.*

QUÆSTIO II.

An Indulgentiæ tantùm valeant, quantùm ſonant, ſeu pronuntiantur?

1. ANte reſolutionem, obſervanda eſt Indulgentiarum varietas. Dividitur enim Indulgentia in totalem, ſive plenariam, & partialem, ſive reſtrictam. *Diviſione Indulgentiarum.*

Plenaria eſt, quæ ſufficit tollendæ toti pœ-

-næ poſt culpam dimiſſam reſtanti, partialis, quæ ſufficit tollendæ alicui parti.

Quæ plenaria eſt, non ſubdividitur. Nam & Indulgentiæ Jubilæi, (quantùm ad ſuum effectum) conveniunt cum plenariâ, licèt differant ratione privilegiorum adjunctorum, ut commutationis in quibuſdam votis, abſolutionis à caſibus reſervatis, & cenſuris. Interdum etiam Indulgentiæ plenariæ ſunt in forma Jubilæi, ut ſunt Indulgentiæ ſocietati Roſarii in noſtro Prædicatorum Ordine conceſſæ in præcipuis Deiparæ Solemnitatibus.

Particularis variè ſubdividitur, prout per eam major, vel minor portio pœnæ remittitur. Interdum enim remittitur dimidia, vel tertia, aut quarta pars peccatorum: id eſt, condonatur tanta pars pœnæ peccatis debitæ: interdum conceditur Indulgentia aliquot annorum, vel dierum. Interdum fit remiſſio quadragenarum. Dies autem illi, vel anni non ſunt ſic referendi ad pœnam Purgatorii, quaſi centum dierum Indulgentia tollat pœnam centum dierum alterius Sæculi, ſed referri debent ad pœnitentiam ſecundùm Canones hìc peragendam. Ac proinde Indulgentia tot dierum, vel annorum, eſt remiſſio pœnitentiæ, quæ ſecundùm rigorem canonum, & priſcum Eccleſiæ ritum peragenda eſſet tot diebus, vel annis, nam olim pro gravibus delictis, diuturnæ pœnitentiæ imponebantur, ut v.g. pro Adulterio ſeptem anni, pro aliis levioribus criminibus injungebantur quadraginta dies jejuniorum. Juxta hunc ſenſum, dum Pontifices, ac nominatim Innocentius III. cap. *cum ex eo, de ſent. Excommunicationis*, dicunt ſe remittere tot dies, vel annos de pœnitentiis, ple-

plerùmque addunt : *injunctis*; quod ad pœnas Purgatorii nullô modô poteſt referri : pariter Indulgentia tertiæ, vel quartæ partis peccatorum, eſt remiſſio tertiæ, vel quartæ partis pœnitentiæ, quæ ſubeunda hîc foret pro peccatis.

Indulgentia Quadragenæ eſt condonatio pœnitentiæ, quæ quadraginta continuatis diebus (ut illicò vidimus) peragenda eſſet in jejuniis, aliiſque laborioſis operibus. Hæc quadragena ſi imperaretur acrior, ut in pane, & aquâ, dicebatur *Carena* à carendo, eò quod pœnitentes carerent per 40. dies omnibus alimentis, pane, & aquâ demptis. Remiſſio ergo carenæ eſt remiſſio talis quadragenæ. Remiſſio quadragenæ in jejuniis quidem, ſed non cum rigore carenæ eſt ſimpliciter remiſſio *Quadragenæ*. Sic & Indulgentia *Septena* eſt, quâ remittitur pœna ſeptem annorum olim peragi ſolita.

2. Cæterùm quia Indulgentiæ valent non ſolùm in facie Eccleſiæ, ſed etiam *quantùm ad judicium Dei* (quæſt. 25. a. in corp.) quod etiam quæſtione præcedenti expendimus num. *6.* ideò conſequenter dicendum eſt, quòd per Indulgentiam tot annorum, vel dierum remittatur etiam pœna Purgatorii, quæ pœnitentiæ condonatæ reſpondet : quanta verò reſpondeat, ſolus Deus novit. Nec enim neceſſarium eſt, ut annis, vel diebus hujus vitæ reſpondeat ex æquo numerus annorum, aut dierum futuri Sæculi : quaſi quot diebus pœnitentia hîc relaxatur, tot præcisè relaxetur in Purgatorio. Nam acerbitas pœnæ unius diei in Purgatorio poteſt æquiparari pluribus diebus, imò fortè annis hujus vitæ. Indulgentia verò plenaria tollit totam pœnam in

Purgatorio luendam, dum quis plenum ejus fructum conſequitur.

3. Alia diviſio Indulgentiæ eſt in perpetuam, & temporalem. Illa conceditur ſine ullâ determinatione temporis: hæc habet tempus præfixum, quô durante illam lucrari poſſumus, poſteà verò non: Veluti dum Indulgentia etiam plenaria, quæ conceditur, dicitur duratura ad Septennium. Solet autem à Pontifice, tali tempore elapsô, rursus peti, & obtinêri aliud v. g. pro Indulgentiâ Septennium.

Indulgentiæ tantùm valent, quantùm ſonant.

4. His præfixis, concluſio eſt *affirmativa*.

Probatur primò ex D. Thoma in Suppl. quæſt. 25. art. 2. in argumento ſed contra. *Dicitur Job 13. Nunquid Deus indiget veſtrô mendaciô, ut pro illo loquamini dolos? ergo Eccleſia prædicando Indulgentias non mentitur; & ita tantum valent, quantùm prædicantur*, ſonant, ſeu pronuntiantur.

Deinde in corpore refellit opinionem quorumdam, *qui dicebant, quòd Eccleſia pronuntiaret* Indulgentias tanti valere, *ut quâdam piâ fraude homines ad benefaciendum alliciat: ſicut mater, quæ promittens filio pomum, ipſum ad ambulandum provocat. Hoc* autem, inquit, *videtur valde periculoſum dicere: dicit enim Auguſt. in Epiſtolâ ad Hier. Si in Sacrâ Scripturâ deprehenditur aliquid falſitatis, jam robur authoritatis Sacræ Scripturæ perit: itaque ſimiliter ſi in prædicatione Eccleſiæ aliqua falſitas deprehenderetur, non eſſent documenta Eccleſiæ alicujus authoritatis ad roborandam fidem*. Ne igitur fraus quædam pia in Indulgentiis committatur, *dicendum eſt, quòd Indulgentiæ ſimpliciter tantùm valent, quantùm prædicantur, dummodò ex parte dantis ſit authoritas,*

ritas; & ex parte recipientis charitas, & ex parte cauſæ pietas, quæ comprehendit honorem Dei, & proximi utilitatem. Sed de hiſce conditionibus fuſiùs infra.

Confirmatur. Quod Prælati Eccleſiæ ſolvunt ſuper terram, ſolutum eſt & in Cœlo; proinde Indulgentiæ tantùm valent, quantùm ſonant.

Indulgentiæ igitur plenariæ (ſi requiſitę adſint conditiones) tollunt totam pœnam temporalem poſt peccatum dimiſſum, reſtantem, partiales aliquam partem pœnæ, juxta explicationem hîc ſtatim allegatàm.

5. Objicies primò. Conçeduntur interdùm Indulgentiæ decem, aut viginti millium annorum, cum tamen Purgatorium non ſit tam diù duraturum, non ergo Indulgentiæ tantùm valent, quantùm ſonant. *Objeƈt.*

R. Diſtinguendo antecedens. Conceduntur interdùm Indulgentiæ decem, aut viginti millium annorum, quoad pœnas in Purgatorio luendas, nego antecedens, quoàd pœnas, quę juxta antiquos Eccleſiæ canones forent ſubeundæ, concedo antecedens, & nego conſequentiam. *Reſp.*

Itaque in primitivâ Eccleſiâ peccatis gravioribus decreta erat pœnitentia trium, quinque, ſeptem, decem, imò viginti annorum. Sunt autem qui quotidiè multa peccata graviſſima committunt, idque per annos triginta, quadraginta, & ampliùs: unde poſſet contingere, ut quis patraſſet tot peccata, quibus juxta Veteres Eccleſiæ canones viginti millium annorum pœnitentiæ deberentur: pœnitentiis autem viginti millium annorum in hoc Sæculô non cor-

reſpondent apparenter pœnæ viginti annorum in Purgatorio, imò ob pœnarum acerbitatem non certò correſpondent pœnæ vel duorum annorum. Unde ſolvitur illud, quòd Purgatorium non ſit tam diu duraturum.

Object. 6. Objicies ſecundò. Datur interdùm Indulgentia à culpâ, & pœnâ; cum tamen per Indulgentias non culpa remittatur, ſed pœna. Ergo iterum Indulgentiæ non tantùm valent, quantùm pronuntiantur.

Reſp. R. Negando antecedens, ſtricte intellectum pro primâ parte. Indulgentia enim nec mortalis, nec venialis culpæ deletionem habet pro effectu proprio, ſed ſolum remiſſionem pœnæ, ejuſque non æternæ, ſed temporalis, & hujus non qualiſcumque, (non enim pœnæ naturalis, non ejus, quæ alicui conſtituitur in foro civili,) ſed ejus demum, cujus homo poſt condonatam culpam, reus manet apud Deum. Indulgentiæ ergo in quibus conceditur abſolutio à culpâ, & pœnâ ſic intelligendæ ſunt; vel quia per ipſarum diploma ſit facultas pœnitentibus, ut Sacramentaliter abſolvi poſſint ab omnibus culpis, etiam reſervatis: vel quia conceditur, ut qui fuerat eas lucratus, maneat omninò abſolutus à culpâ, & pœnâ: non quod Indulgentiæ tollant utrumque, ſed quia, ut effectum ſuum nanciſcantur, requirunt Confeſſionem Sacramentalem, in quâ cùm abſolutione culpa remittitur, ipſæ verò complent remiſſionem totius pœnæ: & ſic tempore Indulgentiarum abſolvitur pœnitens ab omni culpâ per Sacramentalem abſolutionem; & ab omni pœnâ per Indulgentiam Plenariam.

7. Ex dictis infertur primò, confeſſionem,

dum

dum illius in bullâ Indulgentiæ fit mentio, eſſe præmittendam. *Indulgentiæ enim tantùm valent, quantùm ſonant*, ſeu pronuntiantur: dum verò pro illâ lucrandâ fit mentio confeſſionis, illam pronuntiant, eſſe præmittendam, illa igitur præmittenda eſt.

De præmittendâ confeſſione, dū Bullæ ſonant pænitentibus, & confeſſis.

In Jubilæo extraordinario *duarum hebdomadarum*, & Jubilæo *Anni Sancti*, in quibus cataractæ, ut ſic loquar, Indulgentiarum in fidelem populum effunduntur, ſic ejus ſolet fieri mentio, ut propter beneficii impetrandi magnitudinem, operaque, quæ huic quadantenùs convenit eſſe proportionata, inter ipſa opera ponatur requiſita, non ſecùs ac Viſitatio Eccleſiarum, aliaque, quæ ad iſta exiguntur. Et hoc etiam verôſimiliùs eſt, etſi quis modò mortalia non haberet: quia etiam in his eſt opus optimum, quod proinde præſcribi potuit, non minùs quàm communio, & reliqua opera.

In aliis Indulgentiis, ubi ponitur, *contritis, & confeſſis, & Sacrâ communione refectis*, licèt aliquo poſſet colore prætendi, tantùm poni confeſſionem pro medio, quô tollatur impedimentum Indulgentiæ, tamen rectè requiri dicitur, ut conditio ſine quâ, non etiamſi à lucraturo Indulgentias abeſſet peccatum mortale. Ratio eſt, tum quòd dantes Indulgentiam multùm favêre ſoleant confeſſioni, perinde ut communioni, tum quòd aliter ponere poſſent, non, *confeſſis*, ſed *juſtis*, ſeu in gratiâ exiſtentibus: tum denique conſequenter, quod verba Bullæ ita ſonent per hæc *contritis*, & *confeſſis*.

Nonnulli caſus.

8. Quòd ſi ad Indulgentiam lucrandam exprimatur, requiri communionem, non factâ mentione Confeſſionis, confeſſio neceſſaria eſt illis,

qui peccati mortalis laborant conſcientiâ, & non aliis, quia illis jure divino neceſſaria eſt ante communionem, & non his.

9. Quid dicendum igitur de eo, qui poſt confeſſionem (vi Bullæ injunctam) recordatur mortalis obliti, antequam alia opera, puta ultimum jejunium, & communionem impleat, teneturne, ut Indulgentiam lucretur, iterum confiteri?

R. Teneri non quidem ex vi Confeſſionis injunctæ, quàm rectè, ut ſupponitur, peregit, ſed ex vi præcepti divini illum obligantis ad confeſſionem, dum recordatur mortalis obliti, ante communionem. *Probet autem ſeipſum homo*, dum vel peccavit mortaliter, vel meminit alicujus mortalis obliti, *& ſic de pane illo edat, & de calice bibat*. 1. ad Corinth. 11.

Qui verò poſt Jubilæum illius recordaretur, jam eſſet Jubilæum lucratus, & ſufficeret hoc oblitum poſtea pandere clavibus Eccleſiæ.

Adimplenda ſunt opera tempore à Bulla præfixo.

10. Infertur ſecundò, opera in Jubilæo extraordinario eſſe adimplenda tempore à Bulla præfixo.

Hinc poni nequeunt opera injuncta, partim unâ, partim alterâ hebdomadâ, v. g. in primâ hebdomadâ tria jejunia, in ſecundâ eleëmoſynâ, confeſſio, communio, &c. ſed omnia ſunt terminanda unâ ex duabus hebdomadibus.

Ratio eſt, quia dum dicitur, *primâ, vel ſecundâ hebdomada*, ponuntur à Pontifice duo tempora, quibus lucrari poſſimus Jubilæum, poſitis operibus injunctis, non verò ſtatuitur unum tempus quindecim dierum, quô poſſint opera præſcripta poni: hoc enim operatur particula illa *vel*: aliter non diceretur, *qui primâ, vel ſecundâ hebdomadâ*, ſed diceretur, *qui bis quindecim*

cim diebus: ideò autem duæ hebdomadæ aſſignantur, ut qui nequit primâ, poſſit Jubilæum lucrari ſecundâ, non verò, ut poſſint dividi opera.

11. Infertur tertiò, dum Jubilæum omnibus Provinciis commune eſt (ut fit in Jubilęo duarum hebdomadarum) non ſufficere illius publicationem factam Romæ in Curiâ, ut in omni loco implêri poſſint opera injuncta; ſed expectandam eſſe publicationem Ordinarii, ut poſſint opera injuncta poni. Sic enim ferunt verba Bullæ. *Qui Eccleſias per Ordinarios deſignatas viſitaverint; & feriâ quartâ, ſextâ, ac Sabbathô alterius hebdomadæ ab iiſdem deputandæ jejunaverint, &c.* *In Jubilęo duarum hebdomadarum, in quibus libet Diœceſibus requiritur illius publicatio à ſuo Ordinario.*

12. Dices. Lex publicata in Curiâ obligat etiam abſentes, ſtatim ac ad ipſos notitia pervenerit, etiamſi non ſit publicata in Diœceſi: ergo à fortiori Jubilæum Romæ duntaxat publicatum ſortietur ubique (hauſtâ ejus notitiâ) effectum ſuum, priuſquam ab Ordinariis publicetur. *Object.*

R. Magnam hîc eſſe diſparitatem. Nam Pontifex vult, ut lex obliget quamprimùm Romæ publicata eſt, contra verò Jubilæum non concedit, niſi pro duabus hebdomadibus *ab Ordinario* deputandis, adeòque non intendit illud elargiri, antequam in Diœceſibus publicetur. Unde & ſic ſonant verba Bullæ, & ita fert praxis fidelium. *Reſp.*

13. Hoc etiam obſervandum in terris Hæreticorum, in quibus plerumque dantur Vicarii, qui Gregi Catholico cum poteſtate Ordinarii pręſint. Item obſervandum apud Infideles, quorum etiam in terris ordinariè non deſunt quidam Vicarii.

Quid ſit faciendū, adum deſunt Ordinarii. 14. Si tamen darentur quædam loca, in quibus Jubilæum præ vehementiâ perſecutionis, atque hinc fortè emergente abſentiâ Vicarii, publicari non poſſet; à fidelibus Jubilæum poſſet acquiri, ſtatim, ac ad illos pervenerit notitia de publicatione factâ Romæ; per viſitationem ſcilicet Eccleſiæ (quæ deputanda eſſet ab Ordinario) commutandam à Confeſſario in quoddam opus pium juxta circumſtantias locorum, & prudentiæ ſuæ arbitrium. Ratio eſt, quia ibi publicatio, & deſignatio Eccleſiæ eſt impoſſibilis; nec videtur velle Pontifex privare hujuſmodi fideles hâc univerſali Indulgentiâ.

Object. 15. Objicies. Si Indulgentiæ tantùm valeant, quantùm ſonant, in Jubilæò *Anni Sancti* tantùm erit Indulgentia Plenaria, non verò facultas abſolvendi à reſervatis, etiam in Bullâ Cœnæ contentis, & commutandi vota, exceptis caſtitatis, & Religionis, ſic enim habet Bulla à BENEDICTO XIII. feliciter regnante noviſſimè emanata ad imitationem Prædeceſſorum ſuorum. *Hoc Jubilæi annô durante omnibus utriuſque Sexûs Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, nec non Sancti Joannis Lateranenſis, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe, Baſilicas ſemel ſaltem in die per triginta continuos, aut interpolatos dies ſi Romani, vel incolæ Urbis; ſi verò peregrini, aut aliàs externi fuerint, per quindecim ſaltem dies devotè viſitaverint, & pro Sanctæ Eccleſiæ exaltatione, hæreſum extirpatione, Catholicorum Principum concordiâ, ac totius Chriſtiani populi ſalute, & tranquillitate pias ad Deum preces effuderint, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, remiſſionem, & veniam miſericorditer*

ter in Domino concedimus, ac impertimur. Nulla autem per integram Bullam fit mentio de facultate tum abſolvendi à reſervatis, tum vota commutandi, quod tamen in praxi obſervatur tempore Jubilæi *Anni Sancti*.

R. Diſtinguendo antecedens: Si Indulgentiæ tantùm valeant, quantùm ſonant, in Jubilæo *Anni Sancti* tantùm erit Indulgentia plenaria, non verò facultas abſolvendi à reſervatis &c. Si hoc vel à prioribus Pontificibus non fuerit ſic intellectum, vel à poſterioribus expreſſum, concedo antecedens, ſi ita fuerit vel intellectum, vel expreſſum, nego antecedens. Hoc autem ſic fuit ſemper à Prædeceſſoribus intellectum, ut habet tot jam Sæculorum praxis, & ex illis verbis Pontificum noviſſimæ etiam Bullæ inſertis non obſcurè colligitur. *Nos*, inquit BENEDICTUS XIII. *Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, Hoc Jubilæi annô durante, omnibus utriuſque Sexûs Chriſti fidelibus pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam impertimur. Veſtigiis*, inquit, *Prædeceſſorum inhærentes*: illi verò & facultatem tribuerunt Confeſſariis abſolvendi à reſervatis, & commutandi vota, ergo & hoc modò Pontifex concedit. Reſp.

Accedit, quod Sixtus V. Conſtitutione 91. contra malè promotos, adeò ſtrictè nonnullos caſus reſervatit, ut ne vigore quidem Jubilæi Anni Sancti reſervatio ceſſaret; quod apertè oſtendit, vi Jubilæi *Anni Sancti* poſſe abſolutionem à reſervatis impendi.

Deinde, ſi tot favores in Jubilæis extraordinariis concedantur, in quibus faciliima opera injunguntur, à fortiori dicendum eſt, eos concedi in Jubilæo *Anni Sancti*, ad quod lucrandum

&

& peregrinatio Romana, & Baſilicarum per tot dies viſitatio, & alia moleſtiſſima requiruntur.

Quantùm ad poſteriores Pontifices, Clemens X. in expreſſione gratiarum, & declarationum factarum occaſione Jubilæi Anni Sancti 1675. apertè conceſſit *facultatem abſolvendi à reſervatis, & commutandi Vota*, quâ de re ubeiùs infra producendo illam expreſſionem. Huic ſe conformavit Innocentius XII. occaſione Jubilæi ultimi, anni 1700.

QUÆSTIO III.

Quis poſſit concedere Indulgentias, & quæ cauſa requiratur ad Indulgentias concedendas?

Quinam poſſint Indulgentias concedere?

1. Concluſio prima. *Solus Pontifex poteſt concedere Indulgentias plenarias, Epiſcopi verò tantùm habent poteſtatem reſtrictam in dandis Indulgentiis, ſecundùm ordinationem Papæ.*

Solus Pontifex concedit plenarias, Epiſcopi reſtrictas tantum.

Concluſio eſt D. Thomæ in Suppl. quæſt. 26. art. 3. in corp. *Papa*, inquit, *habet plenitudinem Pontificalis poteſtatis, quaſi Rex in Regno. Sed Epiſcopi aſſumuntur in partem ſollicitudinis, quaſi Judices ſingulis Civitatibus præpoſiti; propter quod eos ſolos in ſuis literis Papa fratres vocat, reliquos autem omnes vocat filios. Et ideò poteſtas faciendi Indulgentias PLENE reſidet in Papa, qui poteſt facere, quod vult, cauſâ exiſtente legitimâ; ſed in Epiſcopis eſt taxata, ſecundùm ordinationem Papæ, & ideò poſſunt facere, ſecundùm quod eis eſt taxatum, & non ampliùs.*

2. Hinc liquet, quòd poteſtas concedendi Indul-

dulgentias non competat Epiſcopis jure divino, ſed tantùm jure humano Eccleſiaſtico, aliter enim non poſſet Pontifex hujuſmodi poteſtatem pro libito coarctare, aut extendere, nequit enim inferior reſtringere, vel augêre poteſtatem à Superiore alicui collatam.

Deinde, quamvis Epiſcopale munus ſit ex inſtitutione Chriſti quoad poteſtatem juriſdictionis in communi; ipſe tamen Chriſtus non dat per ſeipſum ſingulis Epiſcopis juriſdictionem eis competentem, ſed eam à Romano Pontifice ipſi accipiunt; qui proinde poteſt eam reſtringere, prout judicaverit expediens.

Porrò Epiſcopi ſolent largiri Indulgentiam unius anni, cum dedicatur Eccleſia, aliis verò temporibus quadraginta ſolùm dierum.

3. Sed nonne poteſt Concilium Generale tribuere Indulgentiam plenariam?

R. Negativè ſecluſô Pontifice. *Solus* enim Pontifex, non autem eô ſecluſô, Concilium ſupremâ fulget poteſtate Eccleſiaſticâ.

4. Concluſio ſecunda.

Nec Parochi, nec Abbates, aut alii hujuſmodi Prælati poſſunt Indulgentias concedere.

Probatur. Quia cum illæ diſpenſentur ex theſauro Eccleſiæ, ſoli poſſunt illas concedere, qui præficiuntur Eccleſiæ; ac proinde, quemadmodum ſolus Epiſcopus eſt ſimpliciter, & propriè Prælatus Eccleſiæ; ita ſolus ipſe cum ſubordinatione tamen ad Pontificem, qui poteſtatem coarctare, vel extendere poteſt, valet Indulgentias concedere: proinde hoc non competit Parochis, aut Abbatibus, cum non ſint ſimpliciter Prælati Eccleſiæ, ſed tantùm ſecundùm quid; non enim præſunt ſuis Cœnobiis, aut Pa-

Non competit Abbatibus, aut Parochis illam concedendi poteſtas.

ro-

rochiis, utì politicæ multitudini, ſed ſolùm ut œconomicæ, id eſt, non tanquam Civitati, vel Provinciæ, ſed tanquam uni cuidam familiæ.

Sed juvat ipſummet audire rurſus Doctorem Angelicum oracula ſua fundentem quæſtione citatâ art. 1. in corp. *Solus ille, qui præficitur Eccleſiæ, poteſt Indulgentias facere*, amplè, vel reſtrictè. *Sed cum Eccleſia ſit congregatio Fidelium; congregatio autem hominum ſit duplex, ſcilicet œconomica, ſicut qui ſunt de unâ familiâ, & politica, ſicut illi qui ſunt de uno populo, Eccleſia aſſimilatur congregationi politicæ, quia ipſe populus Eccleſia dicitur, ſed Conventus diverſi, vel Parochiæ in unâ Diœceſi aſſimilantur congregationi in diverſis familiis, vel in diverſis officiis. Et ideò ſolus Epiſcopus propriè Prælatus Eccleſiæ dicitur: unde & ipſe ſolus quaſi Sponſus annulum Eccleſiæ recipit: Sed Sacerdotes, qui plebibus præficiuntur, non ſunt ſimpliciter Prælati, ſed quaſi coadiutores: unde in conſecratione Sacerdotum Epiſcopus dicit: quantò fragiliores ſumus, tantò magis auxiliis his indigemus; & propter hoc etiam non omnia Sacramenta miniſtrant*, ut Epiſcopi. *Unde Sacerdotes Parochiales, vel Abbates, aut alii hujuſmodi Prælati non poſſunt Indulgentias facere.*

Tacita objectio. 5. Poſſunt quidem Supremi Ordinum Moderatores Communitatis ſuæ bona ſpiritualia communicare aliis: talis tamen communicatio non eſt Indulgentia propriè dicta.

Primò, quia non fit ex theſauro meritorum Chriſti, & Sanctorum. *Secundò*, quia per eam non applicantur ſatisfactiones præteritæ, quæ, cum aliis ſuperabundarent, in theſauro ſunt reconditæ, ſed futura tantùm opera.

6.

6. Ex dictis etiam ſequitur, Archidiaconos; & Epiſcoporum Vicarios, non habêre poteſtatem ordinariam concedendi Indulgentias, quia non ſunt ſimpliciter Prælati Eccleſiæ.

Cæterùm uſus obtinuit, ut Vicarii Generales, Sede vacante, concedant Indulgentias quadraginta dierum, ſicut Epiſcopi, utique, quia Epiſcopum Sede vacante repræſentant.

7. Sed quid de Clericis non Sacerdotibus, poſſuntne illi concedere Indulgentias? *Quomodò illas Clerici non Sacerdotes poſſunt concedere.*

R. Poſſe. *Poteſtas* enim *faciendi Indulgentias ſequitur juriſdictionem*, *quia* verò *Diaconi*, *& alii non Sacerdotes poſſunt habêre juriſdictionem*, *vel commiſſam*, *ſicut Legati* Sedis Apoſtolicæ; *vel ordinariam*, *ſicut electi*, vel nominati, & confirmati Epiſcopi, priuſquam conſecrentur, *Ideò poſſunt Indulgentias facere etiam non Sacerdotes*, *quamvis non poſſint abſolvere in foro pœnitentiali*, *quod eſt ordinis*. S. D. quæſt. eâdem art. 2. in corp.

8. Porro & ille qui eſt in peccato mortali, æquè poteſt Indulgentias impertiri, ac ille qui eſt in gratiâ. *Facere* enim *Indulgentias pertinet ad juriſdictionem*, ſed *per peccatum homo non amittit juriſdictionem*: proinde *Indulgentiæ æquè valent*, *ſi fiant ab eo*, *qui eſt in peccato mortali*, *ſicut ſi fierent ab eo*, *qui eſt Sanctiſſimus*; *cum non remittat pœnam ex vi meritorum ſuorum*, *ſed ex vi meritorum reconditorum in theſauris Eccleſiæ*. Quæſt. citatâ art. 4. in corp. *Poſſunt concedere, qui ſunt in peccato mortali.*

9. Quantùm ad Indulgentiæ valorem, ſeu cauſam concedendi Indulgentiam, tria requiruntur. Primum eſt in concedente authoritas. Secundum eſt in recipiente charitas, ſeu ſtatus gratiæ, ſaltem in ultimo opere, vel dum effectum Indul-

gen-

gentiæ eſt recepturus. Tertium eſt pietas, id eſt, quòd ſit ad honorem Dei, & proximi utilitatem, in quem finem & Sancti generaliter ſuas ſatisfactiones obtulerunt. Hæc iterum nobis ſuppeditat Doctor Angelicus in Suppl. quæſt. 25. art. 2. in corp. *Ad hoc, quòd merita Eccleſiæ, quæ ſemper ſuperabundant, applicentur* Fidelibus, *requiritur authoritas diſpenſandi talem theſaurum; & unio ejus, cui diſpenſatur, ad eum qui merebatur, (quod fit per charitatem) & ratio diſpenſationis, ſecundùm quam ſalvatur intentio illorum, qui opera meritoria fecerunt: fecerunt enim illa ad honorem Dei, & utilitatem Eccleſiæ in generali: unde quæcumque cauſa adſit, quæ in utilitatem Eccleſiæ, & bonorem Dei vergat, ſufficiens eſt ratio Indulgentias faciendi*, ſeu concedendi Fidelibus.

10. Hinc nequit Pontifex pro ſolo libito ſinè causâ rationabili concedere Indulgentiam. Pontifex enim, & alii Prælati Eccleſiæ non ſunt Domini ſpiritualium Theſaurorum, ſed diſpenſatores tantùm, *boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei*. 1. Petri 4. Differt autem diſpenſatio à diſſipatione, quòd illa fiat ex legitimis cauſis, & ſecundùm Domini voluntatem; hæc temerè pro libito: cum ergo Dominus non habeat ratam ſuorum bonorum diſſipationem, ſed tantùm diſpenſationem, conſequens eſt, Indulgentiam ſinè causâ conceſſam eſſe irritam.

Confirmatur. Pontifex nequit ſinè juſtâ causâ relaxare obligationem ortam ex quibuſdam votis, ergo nec illam, quæ ex peccato provenit, talis autem eſt obligatio ad pœnam temporalem reſtantem poſt remiſſionem culpæ. Sicut igitur nedum illicita, ſed & invalida eſt diſ-

pen-

penſatio facta in votis ſinè juſtâ causâ, ita etiam invalida eſt diſpenſatio Indulgentiarum conceſſa ſinè causâ rationabili.

11. Rationabilis, ſeu juſta cauſa plerumque duo complectitur, finem ſcilicet aliquem Deo gratum, cujus aſſecutio videatur illi gratior futura, quàm ſatisfactio propria, quæ relaxatur; & opus aliquod bonum: quod quidem neceſſe non eſt eſſe apprimè meritorium, aut ſatisfactorium, ita ut adæquet pœnam, ad quam tollendam datur Indulgentia, (nam eâ ratione foret per propriam ſatisfactionem juſta compenſatio, non Indulgentia) ſed oportet, ut ſit aptum ad finis intenti conſecutionem: & hæc aptitudo efficit, ut cauſa, ob quam datur Indulgentia, proportionem habeat cum illâ.

12. Obſervandum verò eſt, quòd ad juſtam cauſam interdum poſſit ſufficere finis Deo gratus ſinè aliquo opere injuncto; ſupponendo tamen, aliquod opus pium præceſſiſſe. Sic in articulo mortis conceditur quibuſdam Indulgentia, neque tamen ullum eis opus injungitur, ſed præſupponitur, quòd præceſſerint quædam opera, gemitus, aut ſuſpiria infirmi ad ultimum finem, Deum ſcilicet anhelantis.

13. Inter cauſas impertiendi Indulgentias præcipuæ ſunt Baſilicarum extructio, & dedicatio, Infidelium converſio, Hæreſum extirpatio, Principum Chriſtianorum concordia, urgens Eccleſiæ neceſſitas, divini auxilii pro felici Eccleſiæ regimine imploratio: hinc Pontifices immediatè poſt aſſumptionem, in fideles Indulgentiam effundunt plenariam, ut tantæ Molî ferendæ ſint pares. Accedunt populi tum erga Sanctos, tum erga Sedem Apoſtolicam devotio, bella gravia *Cauſæ Indulgentiarum.*

cum

cum Infidelibus, aliaque, quæ Fidei imminêre poſſent mala.

14. Quoàd *Baſilicarum extructiones*, hanc ſi cauſam Lutherus expendiſſet, non incidiſſet in hæreſim occaſione Baſilicæ D. Petri Romæ, cujus fabricæ ſi Fideles eleëmoſynam ſubminiſtrarent, Indulgentiam lucrabantur. Dicebat ille, in hoc Simoniam committi, cum pro re temporali, pecuniâ ſcilicet res ſpiritualis, nimirum Indulgentia obtineretur.

Error Lutheri occaſione fabricæ D. Petri Romæ, à D. Thomâ prædamnatus.

At quàm egregiè Lutheri argumentum jam à tot Sæculis præſuffocavit Doctor Angelicus in Suppl. quæſt. 25. art. 3. in corp. *pro temporalibus*, inquit, *non poteſt fieri Indulgentia*, benè autem *PRO TEMPORALIBUS ORDINATIS AD SPIRITUALIA, ſicut eſt repreſſio inimicorum, qui pacem Eccleſiæ perturbant, & CONSTRUCTIO ECCLESIARUM, & aliarum eleëmoſynarum* pro temporalibus ad ſpiritualia ordinatis *largitio*. En ipſiſſimus Lutheri error; quòd contribuentibus eleëmoſynam ob conſtructionem Eccleſiæ, utpote dantibus temporale pro re ſpirituali non poſſet tribui Indulgentia. Non deerat niſi nomen Eccleſiæ, ſeu Baſilicæ D. Petri. Sanè in talibus circumſtantiis, cum eleëmoſyna ordinetur ad ſpiritualia, erectio enim Eccleſiarum, cum concernat honorem Dei, & Sanctorum, eſt quid ſpirituale, in talibus, inquam, circumſtantiis datur quid ſpirituale pro re ſpirituali; adeòque non committitur Simonia.

15. Porro plus, vel minùs erunt participes Indulgentiæ, qui cum majori, vel minori proportione pietatis, aut devotionis opera injuncta præſtiterint. Id conſtat ex Innocentio III. in capitul., *quod autem*, de pœnitentiis, ubi di-

dicit: *licèt generalitèr fiat Indulgentia propter laborem, propter devotionem, & propter pericula: tamen unus plus aliô meretur, ſecundùm quòd plus devotus eſt, vel plus laborat, vel majoribus ſe periculis exponit*. Eò etiam ſpectat illud Bonifacii VIII.in Extravagante *Antiquorum. Unuſquiſque plus merebitur, & Indulgentiam efficaciùs conſequetur; qui Baſilicas ipſas ampliùs, & devotiùs frequentabit*.

Id liquet potiſſimùm, dum Indulgentia eſt indeterminata. Exemplum allegat Angelicus in contribuentibus eleëmoſynam pro fabricâ Eccleſiæ ad lucrandam Indulgentiam indeterminatam. *Quando datur*, inquit, *Indulgentia indeterminata ei, qui dat auxilium ad fabricam Eccleſiæ, intelligitur tale auxilium, quod ſit conveniens, & proportionatum ei, qui auxilium dat, & ſecundùm quod accedit ad hoc, ſecundùm hoc plus, vel minus de Indulgentiâ conſequitur*. Q. cit. a.2.ad 3.

Pauper quidem *aliquis dans unum denarium*, & plus dare alioquin deſiderans, *conſequitur totam Indulgentiam* indeterminatam ob affectum animi, quem Deus maximè ponderat, *non autem dives, quem non decet ad opus tam pium, & fructuoſum ita parum dare, ſicut non diceretur Rex alicui homini auxilium facere*, vel eleëmoſynam largiri, *ſi ei obolum daret*. Sic igitur & in aliis, præcipuè dum Indulgentia eſt indeterminata, plus, vel minus quiſpiam lucratur de Indulgentiâ, ſecundùm quod plus, vel minùs proportione, vel improportione pietatis, aut laboris accedit ad cauſam, pro quâ tales conceſſæ ſunt Indulgentiæ.

QUÆSTIO IV.

De Peregrinationibus Sacris, de Jubilæo, præſertim Anni Sancti, & quid illud contineat.

1. EXplanatâ materiâ *de Indulgentiis*, offert ſe mihi materia *de Jubilæo*, præſertim *Anni Sancti*, nobiliſſimâ ejus ſpecie.

Sacræ Peregrinationes. Sed cum Sacræ *Peregrinationes*, quoad Exteros ad illud ſint præambulæ, has Jubilæo Anni Sancti præfigendas eſſe duxi.

Has, uti & Jubilæum ſugillarunt Sectarii aſſerentes, eas fuiſſe in uſu apud Judæos, quibuſcum nobis quoad Sacra, nihil debet eſſe commercii.

2. Sed quàm ſuis ipſimet Sectarii repugnant principiis? In antiquâ Lege crebra fuerunt, præſertim in anguſtis rerum circumſtantiis adhibita jejunia; eximium inter alia exemplum nobis ſuppeditant Ninivitæ. Jonæ 3. *Prædicaverunt Jejunium*. Et tamen in novâ etiam Lege Sectarii, vel in bellorum tempeſtatibus, vel in aliis aſperis caſibus jejunant ſinè Judaïſmi profeſſione; quia ſcilicet ſectantur jejunium, non ut figuram, ſed ut rem figuratam, cur igitur & nobis non liceat Judæorum imitari peregrinationes, non ut figuram, ſed ut rem figuratam?

Itaque Peregrinationum Sacrarum uſus in Catholicis ſpernendus non eſt.

Ipſa igitur Adverſariorum arma in noſtram convertentes defenſionem ab ipſiſmet auſpicemur figuris, & Peregrinationum demonſtremus antiquitatem. Deut. 16. ſic ait Dominus. *Non poteris immolare Phaſe in quâlibet urbium tuarum,*

quas

quas Dominus Deus tuus daturus eſt tibi .... Sed *tribus vicibus per annum apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu Domini Dei tui, IN LOCO QUEM ELEGERIT: in Solemnitate Azymorum,* ſeu in Paſchate,*in Solemnitate Hebdomadarum*, ſeu in Pentecoſte, *in Solemnitate Tabernaculorum*, id eſt, Scenopegia. Id ipſum tum Joſeph, tum Maria ſingulis annis quoad feſtum Paſchæ obſervabant. *Ibant Parentes ejus per omnes annos in JERUSALEM in die Solemni Paſchæ*. Lucæ 2. Ecce *in loco, quem elegerit Dominus*, ad quem proinde Judæi debebant tendere, immolatur Phaſe: itur ſingulis annis ob Solemnitatem Paſchæ *in Jeruſalem*. Quid hoc eſt aliud, quàm ſacra quædam, & religioſa ad Deum peculiari quodam in loco diſtinctiori pietate adorandum peregrinatio?

3. Talia naſcentis Eccleſiæ Fideles imitati exempla, ut rem figuratam, figuræ enim jam per mortem Chriſti ceſſarant, incredibile dictu eſt, quantò divini amoris ardore loca Terræ Sanctæ inviſerint. D. Hieronymus S. exhortans Marcellam ad peregrinationem Bethlehemiticam, hæc inter alia, verba adhibet.

Longum eſt nunc ab aſcenſu Domini uſque ad præſentem diem per ſingulas ætates currere, qui Epiſcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrinâ Eccleſiaſticâ virorum venerint Jeroſolymam, putantes minùs ſe Religionis, minùs habêre ſcientiæ, nec ſummam, ut dicitur, manum accepiſſe virtutum, niſi in illis Chriſtum adoraſſent locis, de quibus primùm Evangelium de patibulo coruſcaverat.

4. Quid memorem S. Helenam Magni Conſtantini Matrem, quæ præfata loca tantò ſtudiô,

& Religione perluſtravit, magnificentiſſimis ubique extructis Eccleſiis, aliiſque relictis immortalibus devotionis, & auguſtiſſimæ munificentiæ monumentis? illa, illa eſt, quæ terram pretioſiſſimô Jeſu Chriſti Sanguine perfuſam piis lacrymis venerata, marmoream Veneris ſtatuam Crucis locô in monte Calvariæ à Gentilibus collocatam, ad tollendam Chriſti Domini Paſſionis memoriam, poſt centum circiter octoginta annos evertendam curavit. Nec eam profectò longæ peregrinationis, & ſuſcepti laboris pœnituit, ſalutiferâ Cruce per vitam recens extincto, cui applicata fuerat, redditam, ingenti miraculô repertâ.

Illi peregrinationi Roma debet partem Crucis, quæ ibi repoſita in Eccleſiâ S. Cruci in Jeruſalem ſacrâ condignam erga tantas Reliquias venerationem Fidelibus impreſſit.

5. Quot exercitus ſe per mille rerum diſcrimina in terram illam Sanctam Cruce ſignati, peregrinationem tantò Sanctiorem, quantò ſanguinolentior erat, ſuſcipientes effuderunt?

Nec hodiedum poſt Terram Sanctam Infidelium faucibus extortam, deinde proh! dolor, Principum Chriſtianorum diffidiis amiſſam, nec hactenus recuperatam, ceſſat Fidelium ardor in tot viſitandis Chriſti Servatoris Sacrariis, incaſsùm eis reluctantibus, & maximis in mari, terraque periculis, & frequentibus in ipſo, ut ſic loquar, portu, in conſpectu deſideratæ Civitatis Arabum inſultibus.

6. Sed nonne fuit etiam ſemper ingens ad limina Apoſtolorum peregrinatio? De illis jamdudum Chryſoſtomus Homil. 32. in Epiſt. ad Rom. hæc ſcripſerat. *Romam, quæ Urbium eſt regaliſſima,*

ſima, relictis omnibus, ad Sepulchra Piſcatoris, & Pellionis (SS. Petri, & Pauli) *currunt & Reges, & Præſides, & Milites.*

Ad Cineres Pauli, canique ad limina Petri, ut loquitur Claudianus, ad 35. Gradus, qui olim ad ſacrata illa limina ducebant, innumeri Sancti ex totô, quà latè patet, terrarum Orbe excîti confluxerunt.

7. Ad eadem ſe ſtitit limina voti causâ ſub finem Sæculi ſecundi, teſte Euſebio librô 6. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, famoſus ille Origenes.

Porro inter coronata capita, quæ olim Principem illam Baſilicam adierunt, eminet Sæculô octavô tum Carolus Magnus Romanorum Imperator, & Galliarum Rex, quater Imperii ſui tempore ſacratos Apoſtolorum cineres veneratus, tum Pater ejus Pipinus, *qui* referente Anaſtaſiô Bibliothecariô, *omnes Gradus ſingillatim ejuſdem Sanctiſſimæ Eccleſiæ B. Petri oſculatus eſt.*

8. Quòd ſi tantus fuerit vel Principum, Regumque, & omnis conditionis fidelium ad Sedem Petri concurſus, dum nondum Jubilæa *Anni Sancti* celebrata fuerant, quantus non debuit eſſe confluxus, dum poſteà ſupremi Eccleſiæ Moderatores Cæleſtes ejuſdem theſauros in Jubilæis, in fidelium cœtum toto Orbe diffuſum profuderunt?

Illicò ſe Catholici è patriis Sedibus pietate accenſi in Italiam effundere, actus devotionis per viam ferventiſſimos elicere, Pſalmos, divinaſque laudes è pectore depromere, dum S. Petri Ædem eminùs conſpiciunt, in terram ſe proſternere, præ gaudio in lacrymas ſolvi, ad exoptata tot laboribus, devoratiſque in viâ difficultatibus Limina gravi pietate contendere, gradibus, & ſa-

ſacris atriis, oſcula venerabundi imprimere, ad Apoſtolorum Sepulchra proni advolvi, Templi, quod Orbis miraculum eſt, Majeſtate percelli, & in Cæli, haſce materiales Machinas in infinitum ſuperaturi contemplationem vivâ fide, ſpe, & charitate erigi, indè ad deſignatarum Baſilicarum viſitationem, & reliqua ad obtinendum Jubilæum requiſita opera ſeſe piè diſponere.

9. Dici nequit, quot Fidelium millia ſingulis Jubilæis Romam convolarint, & quàm frequentes charitatis actus vel Exteri adventantes, vel Romani egenos hoſpitiô excipientes exercuerint: Exteris de charitate in Deum per tot labores Romam raptis, Romanis de amore in proximum largiſſimarum diſtributione eleëmoſynarum concertantibus.

Annô 1600. ſub Clemente Octavo feruntur Romam confluxiſſe ſupra duodecies centum millia Fidelium, tantâ tamen ſacris hoſpitiis Præfectorum diſciplinâ, ut pluribus millibus pauperum & commodè, & abundè fuerit proviſum.

Itaque cum à tot retroactis Sæculis exercitę fuerunt, tum hodiedum exercentur ſacrę Peregrinationes: proinde non contemnendę ſunt, ſed in pretiô habendæ; præſertim cum tot, tantarumque virtutum praxi, & tantarum gratiarum à Deo impetrandarum, ac pœnarum in Jubilæo remittendarum occaſionem ſubminiſtrent.

10. Cæterùm quamvis laudabilis ſit ſacrarum Peregrinationum uſus, propter has tamen non poteſt relaxari diſciplina ſeu regularis, ſeu civilis.

Quibus liceat Romam tendere Jubi-

Hinc Romam tendere Jubilæi lucrandi cauſâ non licet Filio non emancipato ſinè facultate Parentum, Pupillis ſinè licentiâ Tutorum, Mulieri

lieri ſinè veniâ Mariti, *caput* enim *Mulieris Vir.* *lei cauſâ?*
1. ad Corinth. 11. Religioſo ſinè facultate à Reverendiſſimo Patre Generali in ſcriptis obtentâ.

Non poſſunt etiam licitè Romam accedere Parochi, aut alii gaudentes beneficiô, cui annexa eſt cura animarum, aut Clerici alicujus Eccleſiæ ſervitio addicti ſinè licentiâ Ordinarii, neque Servi ſinè licentiâ Domini, neque Milites, publici Adminiſtri, aliive ſimiles ſinè illorum, quibus in munere ſuo ſubduntur, facultate.

11. At quid ſi Mulier ſinè Mariti, Religioſus ſinè Generalis conſenſu Romam venirent, poſſentne lucrari Jubilæum, præſtando opera ad illud requiſita?

R. Poſſe, ſi de illâ gravi inobedientiâ, uti & de aliis peccatis verè doleant, firmumque habeant propoſitum illam ampliùs non committendi, & eam reliquas inter culpas confiteantur.

12. Nunc ad ipſum Jubilæum *Anni Sancti* progrediamur.

Levitici 25. hæc habentur. *Sanctificabis annum quinquageſimum, & vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ, ipſe eſt enim JUBILÆUS: revertetur homo ad poſſeſſionem ſuam, & unuſquiſque redibit ad familiam priſtinam.*

Ad hujus Jubilæi Judaici exemplum, ſingulis quinquaginta annis celebrari ſolitum erat, *Quid ſit Jubilæum.*
modò à paucioribus Sæculis annô quoquô vigeſimô quintô Romæ celebratur Jubilæum, ſeu annus Jubilæi.

Definitur: *annus, quô viſitantibus certas Eccleſias, & certa pia opera facientibus Indulgentia plenaria conceditur, cum facultatibus circa abſolutionem à Reſervatis, & Cenſuris, & circa votorum Commutationem.*

Sanè ſicut Hebræis quinquageſimô illo annô concedebatur remiſſio temporalis, ita ut cuivis reſtituerentur poſſeſſiones, quas per hypothecam, aut venditionem diſtraxerat, & mancipia in priſtinam libertatem citra pretium aſſererentur, ita pariter Chriſti Fidelibus annô Jubilæi per Indulgentiam pœnæ peccatis debitæ remittuntur, & peccati ſervus vi meritorum Chriſti manumittitur.

„ 14. Annus ille eſt placabilis, inquit BENEDICTUS XIII. in Bullâ promulgationis ejuſdem, „ annus redemptionis, & veniæ peccatorum. Non „ hîc, ut quondam Judaica Natio, ad diſtractorum „ prædiorum recuperationem, ſed ad æternæ poſſeſſionem hæreditatis invitamur. Non à colendæ terræ laboribus eximimur, ſed fructus, quos „ Chriſti Domini, Deiparæ Virginis, & Sanctorum merita protulerunt, uberrimos percipimus: „ non à pecuniarum debito, vel ab humanâ ſervitute, ſed à peccatorum vinculis, & pœnis abſolvimur: non ab exilio terrenam patriam repetere nobis licet, ſed ad cæleſtem illam patriam, „ unde exulantes in hâc lacrymarum valle miſerè „ pererramus, tutùm nobis iter præmonſtratur, & „ panditur.

Object. 15. Sed en rursùs Sectarii. In nova lege, inquiunt, non debent reſuſcitari cęremoniæ Judaicæ; dixit enim Dominus Joannis 19. *Conſummatum eſt: & ideò tunc totaliter debuerunt ceſſare legalia, quaſi veritate eorum conſummatâ.* D.Th. 1. 2. q. 103. art. 3. ad 2. Sed per Jubilæum reſuſcitantur Cæremoniæ Judaicæ, cum Judæi primitùs annum Jubilæi celebrarint, ergo non eſt obſervandum, ſed reſpuendum, & abolendum Jubilæum, tanquam redolens Judaiſmum.

R. Ne-

R. Negando minorem. Non enim celebratur à Catholicis Jubilæum tamquam figura, quemadmodum illud celebrabatur à Judæis, *omnia* enim *in figurâ contingebant illis*, 1. ad Corinth. 10. ſed tanquam res figurata, differt proinde quàm maximè à Cæremoniis Judaicis. Unde quò ruitis, Sectarii? Baptiſmus fuit ſubrogatus Circumciſioni tanquam res figurata figuræ: nunquid tamen Baptiſmum tum contra Judæos, tum adversùs Socinianos, alioſque tenebriones pro aris, & focis nobiſcum ipſimet tuemini? an adversùs Judæos dimicantes Judaiſmum profitemini? uti igitur illum non profitemini, quia ſuſcepiſtis rem figuratam locô figuræ, Baptiſmum ſcilicet locô Circumciſionis; ita nec nos Romano-Catholici judaizamus in materiâ Jubilæi, quia rem figuratam duntaxat in Jubilæo amplectimur, non figuram. Judæi per Jubilæum terreſtria, nos cæleſtia ſpectamus. Illi humanâ ſervitute, & pecuniarum debitô, nos diris peccatorum vinculis, & pœnis clementer ſolvimur. *Reſp.*

16. Deinde, Judæi in Cæremoniis ſuis futurum adumbrabant Meſſiam, (quem vel hodiedum tantâ cum pervicaciâ veniſſe inficiantur) nos verò eum natum eſſe, Cruci affixum, pro nobis peccatoribus ex intimis miſericordiæ viſceribus mortuum, Redemptoremque eſſe noſtrum profitemur, prædicamus, propugnamus, & ut talem ſupplici poplite adoramus: imo ejus merita ſuperabundantia nobis in Jubilæo, ut in primâ quæſtione expendimus, applicantur: unde illis potiſſimùm tota Jubilæi virtus, & valor innititur. Quàm procul igitur à Judaiſmo in Indulgentiis Jubilæi remoti ſumus?

17. Nonnulli principium Jubilæi ad tempora

re-

referunt Apoſtolorum, ſed ſinè fundamento: quamvis & tunc Indulgentiæ fuerint conceſſæ, ut patet ex facto Pauli, qui largitus eſt Indulgentias famoſo iſti inceſtuoſo. 2. ad Corinth. 2. nec illæ tamen Indulgentiæ, nec aliæ primis Eccleſiæ temporibus ſubſecutæ fuerunt datæ in formâ Jubilæi.

Inſtitutores Jubilæi. 18. Bonifacius VIII. dicitur communiter Inſtitutor Jubilæi in Bullâ *Antiquorum* annô 1300. Inſtitutor ſaltem, inquam, quoad viſitationem Baſilicarum pro Romanis ad triginta, pro Exteris ad quindecim vices. Decreverat autem illud fieri annô duntaxat quôlibet centeſimô: at Clemens VI. annô 1350. in Extravag. *Unigenitus de pœnit. & remiſſion.* decrevit, ut quinquageſimô quoque annô inſtar Moyſaici celebraretur.

Urbanus VI. Pontifex annô 1379. voluit in memoriam annorum Chriſti, ut illud trigeſimô tertiô annô ſolemniter perageretur, quamvis nunquam tale Statutum in praxim deductum fuerit, ſi res accuratè perſpiciatur: etenim Bonifacius IX. annô 1390. Annum Sanctum celebravit, eò quòd celebratus non fuiſſet trigeſimô tertiô annô poſt Jubilæum Clementis VI. uti tamen Urbanus VI. ordinaverat. Deinde idem Bonifacius IX. an. 1400. rurſus celebravit Jubilæum. Poſteà Martinus V. annum Sanctum celebravit an. 1423. videlicet trigeſimô tertiô poſt primum Jubilæum Bonifacii Noni, ſed vigeſimô tertiô poſt ſecundum. Nicolaus V. annô 1450. veluti rediens ad quinquageſimum, Jubilæum peragi voluit.

19. Paulus Secundus in Bullâ *Ineffabilis* annô 1470. decrevit, ut propter humanæ vitæ brevitatem quôlibet vigeſimô quintô annô celebrare-

retur, prout hactenus ſervatum fuit.

Sic verò celebratum eſt 1. à Sixto IV. annò 1475. Eo autem tempore, cum graſſante bellô, Romam confluere non poſſent undequaque Peregrini, illud Bononiæ à menſe Maji uſque ad Decembrem incluſivè fuit habitum. Celebratum deinde fuit Jubilæum ab Alexandro VI. annô 1500. à Clemente VII. 1525. à Julio III. 1550. à Gregorio XIII. 1575. à Clemente VIII. 1600. poſtmodùm ab Urbano VIII. 1625. ab Innocentio X. 1650. à Clemente pariter X. annô 1675. ab Innocentio XII. anno 1700. & tandem hôc, quô vivimus, annô 1724. indictum eſt à Benedicto XIII. (quem Deus divinitùs electum diù ſoſpitem, & incolumem conſervet) ad primas Veſperas Nativitatis Domini, ad illud uſque tempus per annum 1725. duraturum.

Quandonam fiat promulgatio Jubilæi.

20. Ritus, quô Jubilæum indicitur, eſt hujuſmodi. Die Aſcenſionis Domini antè *Annum Sanctum* maximo apparatu in Principe D. Petri Æde recitatur publicè Pontificis diploma de proximi Anni Jubilæo; die, inquam, Aſcenſionis Domini, ut quemadmodum eâ ſolemni luce Chriſtus Servator Cælum Protoparentis culpâ nobis occluſum, pretiosô nobis Sanguine primò triumphabundus ingrediens reſeravit; ita illud & per Jubilæum meritis, & valori ſui Sanguinis potiſſimùm innixum miſericorditer aperire dignetur.

Hôc annô, cum die Aſcenſionis etiamnum Purpurati Patres in Conclavi de Succeſſore Innocentio XIII. felicis recordationis ſubrogando tractarent, diploma promulgatum non erat, publicatum verò fuit die 29. Junii, Eccleſiæ fundamentis SS. Petro, & Paulo ſacrâ.

Deindè Dominicâ tertiâ Adventûs fit altera publicatio Bullæ Pontificiæ.

Apertio Portę Sanctæ. 21. Poſtremò in pervigilio Nativitatis Domini ſolemnis manè habetur ſupplicatio, & poſt meridiem è Sacello Palatii ad Baſilicam S. Petri ſe confert Pontifex. Hanc omninò clauſam reperit; ipſe verò Portam muratam, quæ *Sancta* dicitur, ter percutit argenteô malleô, & bis Summus Pœnitentiarius; dum certæ interim preces recitantur: tum fabri murarii murum dejiciunt, ingrediturque Pontifex Eccleſiam, ac Veſperis intereſt. Tres intereà Cardinales eôdem ritu tres alias Portas Sanctas reſerant in tribus Baſilicis Sancti Pauli, Sancti Joannis Lateranenſis, & Sanctæ Mariæ Majoris. Quatuor enim iſtæ Eccleſiæ ex antiquiſſimo ritu viſitandæ ſunt ab iis, qui Jubilæum ſunt lucraturi; numeruſque quaternarius deſignat, omnes Fideles ex quatuor Orbis univerſi partibus, imò & infideles, ſi Eccleſiæ inſeri velint, advocari, dum Deus miſericordiæ ſuæ ſinus largiſſimè cunctis aperit.

22. Ratio, cur ea porta dicatur *Sancta*; hæc eſt; tum quia qui per illam ingrediuntur Fideles Indulgentiam conſecuturi, ſanctitatem, ſeu gratiam divinam obtinent, tum etiam, quia benedicuntur lapides, calx, aliaque id genus, dum poſt annum Sanctum evolutum clauditur, videlicet in Vigiliâ Nativitatis poſt Veſperas. Tunc præmiſsâ ſolemni ſupplicatione, Pontifex, ac deinde Summus Pœnitentiarius calcem jaciunt cochleari argenteô, ternoſque ponunt lapides præfatâ benedictione præmiſsâ, ac deinde murus à fabris erigitur, manetque integer, donec iterum Annus Sanctus recurrat.

23.

Cauſa Jubilei Anni Sancti.

23. Denique cauſa Inſtitutionis Anni Jubilaris potiſſima eſt, ut peccatorum preſſis pondere conveniens pietatis remedium pia Mater Eccleſia ſubminiſtret per diſpenſationem theſauri cæleſtis in pœnarum ſolutionem, & ut Urbs viſitetur, quæ eſt Mater, Magiſtra, Caput, & Vertex omnium Eccleſiarum, quamque SS. Petrus, & Paulus Eccleſiæ columina, ac tot deinceps Martyres glorioſô Sanguine conſecrarunt.

Feſtinate ad locum, inquit BENEDICTUS XIII. in citatâ Bullâ, ad locum, quem elegit Dominus: aſcendite ad hanc Jeruſalem novam, unde ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio Lex Domini, & lux Evangelicæ veritatis in univerſas Nationes effluxit. Hæc Urbs per Sacram B. Petri Sedem Caput Orbis effecta Mater eſt cunctorum credentium, fida Divinitatis interpres, & Magiſtra omnium Eccleſiarum. Hîc intemeratum Fidei depoſitum, hîc fons Sacerdotalis unitatis, hîc claves Regni Cælorum, & ſumma ligandi, atque ſolvendi poteſtas, hîc demum inexhauſtus ille theſaurus Sacrarum Indulgentiarum, cujus diſpenſator eſt Romanus Pontifex, cuſtoditur.

Hoſpitalitas erga pauperes Peregrinos ad Jubilæum illud tendentes exercenda.

24. Cæterùm Pontifex in eâdem Bullâ divites exhortatur, ut pauperibus Peregrinis Romam pro Jubilæo profecturis auxiliatricem manum tum hoſpitiô, tum aliis charitatis operibus porrigant. *Qui ſubſtantiam*, inquit, *hujus Mundi habent, diſcant facere ſibi amicos de Mammonâ iniquitatis, Peregrinos Romam venientes ſubſidiis adjuvent, hoſpitiô excipiant, omnibuſque Chriſtianæ Charitatis officiis proſequantur.*

Certè ad hoſpitalitatem exercendam datur obligatio pro iis ferè caſibus, ac circumſtantiis,

pro quibus datur obligatio ad eleëmoſynam. Suſceptio enim hoſpitum à D. Thoma 2. 2. q. 32. a. 2. Numeratur inter ſeptem eleëmoſynas corporales, apud eundem Angelicum comprehenſas hôc verſiculô: *viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo*; & ſignificatur in Lii *COLLIGO*. Matthæi etiam 25. damnantur homines ob neglecta opera miſericordiæ corporalia, & nominatim hoſpitalitatis. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum: hoſpes eram, & non COLLEGISTIS ME*.

25. Ad Hoſpitalitatem cæteris paribus, arctiùs obligantur obtinentes Eccleſiaſtica beneficia, multòque magìs illi, quibus incumbit adminiſtratio domorum hoſpitalium. Hâc de causâ Tridentinum *Seſſ*. 25. *cap*. 8. de utriſque loquens ait. *Admonet Sancta Synodus quoſcumque Eccleſiaſtica beneficia obtinentes, ut hoſpitalitatis officium à SS. Patribus frequenter commendatum, quantùm per eorum proventus licebit, promptè, benignèque exercère aſſueſcant, memores, eos, qui hoſpitalitatem amant, Chriſtum in hoſpitibus recipere. Illis verò, qui hoſpitalia vulgò nuncupata, ſeu alia loca pia ad PEREGRINORUM, infirmorum, ſenum, pauperumve uſum præcipuè inſtituta in quemcumque titulum obtinent, præcipit omninò, ut impoſitum illis onus, officiumve adminiſtrent, atque hoſpitalitatem, quam debent, ex fructibus ad id deputatis actu exerceant juxta Conſtitutionem Concilii Viennenſis aliàs in hâc eadem Synodô ſub fel. record. Paulo III. innovatam, quę incipit: quia contingit.*

Imo ex dictis ſatìs ſuperque liquet, eos, quibus domorum hoſpitaliū adminiſtratio commiſſa eſt, ſi juxta fructus ad id deputatos peregrinos, alioſve non recipiant, non ſolùm in charita-

ritatem, ſed etiam in juſtitiam impingere.

Quantùm ad Eccleſiaſticos, qui ex ſuperfluis fructuum beneficialium Peregrinos non excipiunt, ſeu pauperibus non ſubveniunt, ii peccant ſolummodò adversùs charitatem. Ita Divus Thomas 2. 2. q. 185. art. 7. *De his*, ait, *quæ ſunt ſpecialiter* (ex fructibus beneficialibus) *uſui ſuo deputata, videtur eſſe eadem ratio, quæ eſt de bonis propriis, ut ſcilicet propter immoderatum affectum, & uſum peccet* (Clericus) *ſi immoderata retineat, & aliis non ſubveniat, SICUT REQUIRIT DEBITUM CHARITATIS*. De his fuſiùs Theologi in materiâ *De jure, & Juſtitia*, agendo de *Dominio*.

26. Advertant interim beneficiati, non ſolùm ad Epiſcopos, cæteroſque Majores beneficiatos, ſpectare hoſpitalitatis, aliorumque operum Miſericordiæ officium, ſed etiam ad quoſcumque Minores beneficiatos pro ratâ fructuum beneficii.

Quàm laudabiliter fores Palatii Epiſcopalis ordinariè obſidentur per conglomeratas undique Pauperum, & Peregrinorum turmas, eiſque quotidiè diſtribuuntur juſſu Antiſtitum eleëmoſynæ!

Nonne ſic Nicolai, Joannes eleëmoſynarii, aliique in Egenos profuſi Præſules reviviſcere videntur?

Certè per ſic obſeſſa palatia, ſuſceptos Advenas, ſublevatam cujuſque calamitatem Cæli fores panduntur, imò illud violentè rapitur.

Canonicis quidem, Paſtoribus, aliiſque ſimplici, vel curatô beneficiô gaudentibus non ſuppetit tantarum Peregrinis, aliiſque egentibus tribuendarum eleëmoſynarum facultas, ſed quantitati beneficii quantitas eleëmoſynæ correſpondeat, oportet.

Qua-

Quare agite, quilibet in hiſce circumſtantiis, in tot Peregrinantium inopum copiâ in eos viſcera charitatis exerat, & de palmâ miſericordiæ nobili inter ſe æmulatione decertet.

Utinam quibuſvis Beneficiatis exemplum BENEDICTI XIII. quotidiè duodecim Peregrinos ad inſtar Gregorii Magni excipientis, tenaciter foret impreſſum!

Opera implenda pro lucrando Jubilæo Anni Sancti.

27. Quænam opera ad lucrandum Jubilæum Anni Sancti requiruntur?

Exigit primò hoc Jubilæum, ut Romani, & Urbis incolæ per triginta dies continuos, ſeu interpolatos, Exteri verò, & Advenæ per quindecim dies, item continuos, ſeu interpolatos devotè, ac reverenter viſitent quatuor Baſilicas S. Petri, S. Pauli, S. Joannis Lateranenſis, ac Sanctæ Mariæ Majoris, & in iis pro S. Eccleſiæ exaltatione, hæreſum extirpatione, Catholicorum Principum concordiâ, ac totiùs Chriſtiani populi ſalute pias ad Deum preces effundant.

Exigit ſecundò, ut peccata ſua doloroſè confiteantur.

Sunt, qui dubitant, an communio requiratur.

Bulla quidem illam non exprimit, ſed praxis, quæ eſt optima legum interpres, ſententiæ communionem exigenti ſuffragatur.

Quædam notanda circa Religioſos quoad viſitationem Eccleſiarum.

28. De *Confeſſione*, & *Communione* fuſiùs infra.

Circa *viſitationem Eccleſiarum*, ita Clemens X. quoad *Religioſos* in famoſâ expreſsione gratiarum annô 1675. *ut facilitetur*, inquit, *Religioſis conſecutio Anni Sancti, tantique theſauri ſpiritualium gratiarum, & ut illi ſuô exemplô populum ædificent, compareantque debito cum decore, qui decet perſonas Deo dicatas, ſignificatur eiſ-*

dem,

nem, ſuam Sanctitatem contentam eſſe, ut illi viſitent quatuor aſſignatas Eccleſias TER tribus diebus continuis, aut interpolatis: & ſic conſequantur Sanctiſſimum Jubilæum, ac ſi viſitaſſent eaſdem Eccleſias triginta diebus.

29. Quantùm autem ad *Romipetas* circa *eandem viſitationem Eccleſiarum*, BENEDICTUS XIII. vult eos, qui iter aggreſſi fuerint, ſi quidam in itinere, vel etiam in ipsâ Urbe morbô, aliâve legitimâ causâ impediti fuerint, non terminatô, ac fortè ne quidem inchoatô præfixô dierum numerô (modò verè pœnitentes, & confeſſi ſunt) prædictæ Indulgentiæ eſſe participes, ac ſi dictas Baſilicas diebus à ſe requiſitis à parte rei viſitaſſent. Ipſa verba, ne eadem repetamus, proferemus quæſt. 7. ubi latiùs de *viſitatione Eccleſiarum* tractabitur. *Quædam notanda circa Romipetas circa idem punctum.*

Idem dudum ſanciverat Clemens X. quoad Cives, & incolas Romanos, ſi eos tempore Jubilæi ægritudine, quominùs Eccleſias viſitent, impediri contigerit.

30. Quoad Pauperes verò Advenas non infirmos, ſic idem Clemens X. *Cum maximè Sua Sanctitas ſecundùm ſua viſcera paterna compatiatur paupertati, ac multiplicibus miſeriis Advenarum, eorumque plurimorum, qui non habent, undè ſe tam diu alant, vel neque ſufferre queunt moleſtias tot viſitationum intra quindecim dies, remittit arbitrio diſcreto tamen, & prudenti Pœnitentiariorum, & Parochorum, ut cuivis diſpenſet juxta cujuſvis pœnitentis indigentiam, & poſſibilitatem in ASSIGNANDO NUMERO VISITANDARUM ECCLESIARUM, dando eiſdem omnem facultatem circa id neceſſariam, & opportunam.* *Et pauperes.*

31. Porro nec jejunia, nec eleëmoſynæ ad

Nec jejunia, nec eleëmoſynæ in Jubilæo Anni Sancti injunguntur.

conſequendum Jubilæum *Anni Sancti* ſolent injungi, tum quia corpus per tot devoratas itineris difficultates ſupponitur attenuatum, & itinerantium ſubſtantia per graves expenſas diminuta; tum quia viſitationes iſtæ ob locorum ab invicem diſtantiam, aliaſque moleſtias admodum laborioſæ ſunt, ita ut corpora per eas multùm atterantur. His adde, ſpectari poſſe à Pontifice & eaſdem difficultates itineris in reditu, & expenſas Romæ, eâdemque in reditu fundendas.

Jubilæum extraordinarium.

32. Præter Jubilæum *Anni Sancti* datur Jubilæum extraordinarium *duarum hebdomadarum*. Illud poſt Iubilæum *Anni Sancti*, cunctis Fidelibus totô Orbe diſperſis, ne quis (qui limina Apoſtolorum adire non potuit) fructu illo privetur, concedi ſolet. Solet & poſt Coronationem Pontificis, ac ſæpè gravibus de cauſis. In omnibus (etiam in facultate abſolvendi *à Reſervatis*, ac *Cenſuris*, & *Commutandi vota*) convenit cum Iubilæo *Anni Sancti*, præterquam in jejuniis, & eleëmoſynâ, quæ hoc Iubilæum extraordinarium ſuperaddit.

Indulgentia in forma Jubilæi in Eccleſiis FF. Prędicatorum in pręcipuis Deiparæ feſtis.

33. Datur & Indulgentia in formâ Iubilæi, quæ tamen opus jejuniorum, & eleëmoſynæ non requirit. Talis, vel tales in noſtro Prædicatorum Ordine conceſſæ ſunt omnibus verè pœnitentibus, confeſſis, & ſacrâ communione refectis in præcipuis Deiparæ feſtis, ita ut proinde in illis, & vota commutari poſſint, & quilibet à caſibus Reſervatis, & Cenſuris abſolvi queat.

De hâc prærogativâ, quæ hodiedum cum maximo fidelium concurſu viget, rurſus infra ſub calcem Opuſculi.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

De ſuſpenſione Indulgentiarum, & aliarum facultatum, durante Jubilæo Anni Sancti.

1. ANte reſolutionem obſervandum eſt, Indulgentiam dividi in realem, perſonalem, & localem. *Realis* eſt, quæ conceditur alicui rei, v. g. Roſario, Imagini, vel Numiſmati, ſeu potiùs in favorem illius, qui rem talem geſtat. *Perſonalis* conceditur Perſonæ, ut eam lucretur, vel in articulo mortis, vel quoties hoc, vel illud opus pium præſtiterit. *Localis* conceditur alicui loco, ſcilicet Eccleſiæ, vel altari.

Diviſio Indulgentiæ in totalem, ſeu plenariam, & partialem ſupponitur nota ex quæſtione 2. numerô 1.

2. Sit modò Concluſio prima.

Per Bullam, quâ ſuſpenduntur omnes, & ſingulæ Indulgentiæ ſub quacumque forma conceſſæ, ſuſpenduntur univerſim Indulgentiæ plenariæ, & etiam partiales.

Durante illô Jubilęo ſuſpenduntur univerſim Indulgentia plenaria, & partiales.

Probatur id, tum ex fine ſuſpenſionis, qui eſt, ne uſu Indulgentiarum impediatur acceſſus ad Urbem, tum ex formâ Bullæ ſuſpenſivæ, quæ ſic ſonat. *Omnes & ſingulas Indulgentias conceſſas, etiam perpetuas, quibuſvis Eccleſiis, Monaſteriis, hoſpitalibus, etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani, Domibus, Militiis, Ordinibus, etiam Mendicantium, Congregationibus, Confraternitatibus: Coronis, Granis, Imaginibus, & Numiſmatibus ex metallo, ſeu quacumque alia materia confectis ... omnes has Indulgentias etiam ad inſtar Jubilæi .... aut quomodolibet conceſſas, Apoſtolicâ*

authoritate, ac poteſtatis plenitudine ſuſpendimus, & ſuſpenſas eſſe declaramus, eaſque, eôdem annô durante nulli prodeſſe, aut ſuffragari debêre. Ita noviſſimè BENEDICTUS XIII. in Bullâ ſuſpenſivâ promulgatâ 8. Iulii: Prædeceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum exemplò inhærens.

Hinc magìs roboratur ſecunda pars, quòd ſcilicet Indulgentiæ quoque partiales, durante Jubilæo Anni Sancti, ſint ſuſpenſæ.

Suſpenduntur enim & Indulgentiæ perpetuæ, & Congregationibus, Confraternitatibus, Coronis, Granis, Imaginibus, ac Numiſmatibus conceſſæ, quarum plures conſtat eſſe partiales.

Ruit proinde illud à quibuſdam allegatum. *Probabile eſt, Indulgentias non plenarias perſeverare, quamvis in Bulla dicantur omnes, & ſingulæ Indulgentiæ ſuſpenſæ.*

Sanè probabilitas non eſt prudentiæ conſona, *ad prudentiam* enim *pertinet præferre majus bonum minùs bono.* 2. 2. q. 53. a. 5. Adeòque & probabiliora probabilibus, proinde ea non eſt ſecura in moralibus, & conſequenter nec in Indulgentiis regula. Nimìs perſpicua ſunt hæc celebratiſſima Doctoris Angelici verba. *Indulgentiæ tantùm valent, quantùm prædicantur.* Dum igitur vel revocantur, vel ſuſpenduntur *omnes* Indulgentiæ, non valent illæ ampliùs tempore ſuſpenſionis, quôcumque modô ſumantur, ſive ſint plenariæ, ſive partiales.

3. Concluſio ſecunda.

Non ſuſpēdūtur conceſſæ Indulgentiæ vi-

Indulgentiæ conceſſæ viſitantibus Baſilicas Romanas, & Scalam Sanctam, non ſuſpenduntur.

Id conſtat ex expreſſione famosâ gratiarum

Cle-

Clementis X. ubi hæc habentur. *Ut conſervetur, inquit, pium inſtitutum, & conſuetudo viſitandi templa, concedit Sua Sanctitas, non obſtante eâ generali Indulgentiarum ſuſpenſione, ut Indulgentias ſolitas conſequi poſſint fideles utriuſque ſexûs, quas aliàs conſequebantur, ſi viſitent ſeptem Eccleſias, & Scalam Sanctam diebus determinatis eô modô, & his cum conditionibus, quibus illæ fuerunt conceſſæ.* Cum verò Modernus Pontifex aſſerat ſe ſuorum ſequi Prædeceſſorum veſtigia, quamvis non exprimat, quòd haſce indulgentias non ſuſpendat, non ſuſpenduntur. *ſitantibus Baſilicas Romanas, & Scalam Sanctam.*

4. *Non ſuſpenduntur etiam Romæ Indulgentiæ ſeptem annorum, & totidem quadragenarum toties obtinendæ, quoties aliquis comprecationi quadraginta horarum, in quâ habetur expoſitum Venerabile, interfuerit, ibidemque inter preces aliquô tempore detentus fuerit.*

Clemens X. ibidem.

Incredibile dictu eſt, quâ fidei, & pietatis ardore illi comprecationi Cives Romani paſſim interſint, ita ut Exteris, vel Romam adventantibus, vel illìc degentibus, crebrò præ cordis gaudio, & tantæ virtutis admiratione lacrymas eliciant.

5. Sed quænam ſunt Indulgentiæ conceſſæ viſitantibus Septem Urbis Eccleſias? *Quænam ſint conceſſæ Indulgentiæ viſitantibus ſeptem Urbis Eccleſias.*

Priùs advertendum eſt, cur Romani conſueverint ſeptem viſitare Eccleſias, videlicet Sancti Joannis Lateranenſis, Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, Sanctæ Mariæ Majoris, Sancti Laurentii, SS. Fabiani, & Sebaſtiani, & Sanctæ Crucis in Hieruſalem. Hæc autem eſt ratio. Cum Pontifices in Oriente ad Fidei puritatem cuſtodiendam, quatuor Patriarchatus in-

inſtituiſſent, ſcilicet primum Alexandrinum, ſecundum Antiochenum, tertium Hieroſolymitanum, quartum Conſtantinopolitanum, quatuor Eccleſias Romæ pro his quatuor Patriarchis deſignarunt, nempe pro primo Eccleſiam D. Pauli, pro ſecundo S. Mariæ Majoris, pro tertio Sancti Laurentii, pro quarto D. Petri; ut ſi fortè Patriarchæ Conciliorum, vel aliorum negotiorum causâ Romam venirent, & circa ſuam Eccleſiam decenter degere, & ſacris commodè operari poſſent. Eccleſia verò Sancti Joannis Lateranenſis aſſignata erat Supremo Orbis, & Urbis Patriarchæ, nimirùm Vicario JESU CHRISTI, quia, quatenus eſt Romanus Pontifex, ſuam ibi Sedem tenet. Unde tum ad mille annos ibidem Pontifices olim commorati ſunt, tum hodiedum ſolemni pompâ, & Majeſtate ſummæ in terris Dignitati reſpondente illius Eccleſiæ poſſeſſionem ſolent capeſſere. Singulari itaquè à Romanis in veneratione habitæ fuerunt hujuſmodi quinque Patriarchales Eccleſiæ; eæque continuò magnâ pietate, ac frequentiâ inviſebantur; quia verò in earum viſitatione interdum opus erat per duas alias celeberrimas tranſire, ſcilicet per Eccleſiam SS. Fabiani, & Sebaſtiani, ubi Cœmeterium eſt innumerorum Martyrum reliquiis conſecratum, & per Eccleſiam Sanctæ Crucis, ubi magna ſalutiferæ Crucis Domini particula colitur, idcirco ſeptem iſtæ Eccleſiæ unà omnes viſitari conſueverunt.

Ut igitur ad tantum pietatis opus fideles excitarentur, inſignes haſce Eccleſias inviſentibus Indulgentiæ conceſſæ fuerunt. Sanctus Sylveſter ad Conſtantini Imperatoris preces, quotidiè Indulgentiam plenariam largitus eſt viſitantiibus

Ec-

Eccleſiam Sancti Joannis Lateranenſis, eandemque confirmavit D. Gregorius, qui ſolô æquatam ab Hæreticis Eccleſiam denuò excitavit. Præterea viſitantibus ſingulas ex ſex aliis Eccleſiis enumeratis, quotidie octo, & quadraginta annorum Indulgentiæ, ac totidem quadragenarum conceduntur, necnon remiſſio tertiæ partis peccatorum: In feſtis duplicibus hujuſmodi Indulgentiæ geminantur, ſeu duplicantur in unâ D. Petri Eccleſiâ. In Eccleſiâ S. Crucis viſitantes Sanctæ Helenæ Sacellum quotidiè lucrantur Indulgentiam plenariam. In Eccleſiâ SS. Fabiani, & Sebaſtiani, Sylveſter, Gregorius, Honorius, Pelagius, Nicolaus Pontifices, ſinguli mille annorum Indulgentiam quotidiè conceſſerunt. Viſitantibus Baſilicam Sanctæ Mariæ Majoris Indulgentiæ duodecim mille annorum datæ ſunt quotidiè à Feſto Aſſumptionis ad Feſtum Nativitatis Deiparæ.

Præſtantiſſimus itaque Indulgentiarum theſaurus, etiam durante Jubilæo Anni Sancti, ad haſce Eccleſias confluentibus, relictus eſt. *Eô* enim *modô*, ut loquitur Clemens X. *Et bis cum conditionibus, quibus illæ fuerunt conceſſæ, eaſdem lucrantur.*

Quænam ſunt Indulgentiæ conceſſæ viſitantibus *Scalam Sanctam*, quæ etiam non ſuſpenduntur? *Quænam Indulgētiæ cōceſſæ ſint viſitātibus Scalā Sāctam.*

R. Recitanti in ſingulo Gradu *unum pater, & ave* (conſtat autem Scala Sancta ex Gradibus 28.) & concedi Indulgentiam trium annorum, & totidem Quadragenarum cum remiſsione tertiæ partis pœnæ, peccatis dimiſsis debitæ.

Illos Gradus non aſcendimus, niſi flexis genibus, in ſacram memoriam Servatoris noſtri Ie-

ſu Chriſti, qui eos pretioſiſsimô Sanguine perfudit, dum per iſtos poſt diriſsimam flagellationem, & coronationem, in editiorem Palatii locum juſſu Pilati enîtens, ab eo confertæ Judæorum multitudini fuit exhibitus hiſce prolatis verbis. ECCE HOMO.

Devotio ſingularis erga Scalam Sanctam.

Apparent etiamnùm hodiè aliquot Sacrarum Guttarum indicia, quæ crate ferreâ Crucem ſignante diſtincta ſunt.

Gradus conſtant ex marmore: Romam verò advecti ſunt per Religioſiſsimam Imperatricem Helenam Conſtantini Magni Matrem.

Omnibus quidem diebus Scala Sancta frequentatur, ſed præſertim feriis ſextis, quòd eô die lytrum Redemptionis noſtrę ex intimis miſericordiæ, & amoris erga nos viſceribus æterno Patri ab Unigenito Dei Filio perſolutum ſit.

Suſpẽduntur conceſſe viſitantibus ſeptẽ Eccleſias extra Urbem.

6. Nonnulli etiam, durante Annô Sanctô, extendunt Indulgentias ad alia loca *extra Urbem*, in quibus Indulgentiæ ſeptem Eccleſiarum Romanarum conceduntur viſitantibus ſeptem, vel quandoque etiam pauciores Eccleſias deſtinatas.

Sed hoc convellitur, & per Bullam ſuſpenſivam, & per expreſsionem gratiarum Clementis X., quæ expreſsè tantùm eximit à generali ſuſpenſione viſitationem prædictam Eccleſiarum *in Urbe*.

Nec opinioni illi patrocinatur famoſum illud. *Probabile eſt, Indulgentias, durante Annô Sanctô, ſic extendi*: etenim probabilitas iterum non eſt ſecura in moralibus regula.

Suſpenduntur conceſſæ Domui Lauretanæ.

7. Hinc quoque, proſtratô hôc probabilitatis principiô, ſuſpenduntur, durante eôdem Iubilæô, Indulgentiæ conceſſæ domui auguſtiſsimæ Lauretanæ, & Indulgentiæ Compoſtellanæ.

8. At

8. At quid de Indulgentiâ *Portiunculæ*, duratne illa tempore Iubilæi?

Non ſuſpenditur Indulgentia Portiunculæ Aſſiſiis, ſuſpenditur extra iſtū locum.

R. Non durare in Eccleſiis ab Aſsiſienſi diſtinctis, in quantùm illa à Pontifice aliis PP. Minorum Eccleſiis conceſſa eſt, durare verò, & non ſuſpendi in Aſsiſienſi, communiter dictâ Eccleſiâ *Sanctæ Mariæ Angelorum*, cum Benedictus XII. in ſuâ Bullâ afferat, Indulgentiam ibi eſſe conceſſam à Chriſto Domino; Pontifex autem nequeat, utpote Chriſtô inferior, ſuſpendere Indulgentiam à Chriſto conceſſam.

9. Concluſio tertia.

Non ſuſpē-duntur Indulgentiæ cōceſſæ Defunctis immediatè, ſecùs conceſſæ vivis, & mortuis.

Non ſuſpenduntur Indulgentię immediatè pro Defunctis conceſſæ, adeòque nòn ſuſpenduntur Indulgentiæ conceſſæ Altaribus privilegiatis, ut ſcilicet anima è Purgatorio liberetur, ſuſpenduntur tamen, quæ vivis conceduntur, applicabiles pro Defunctis.

Concluſio conſtat ex Clemente X. In *ſuſpenſione*, inquit, *generali Indulgentiarum, non intelliguntur ſuſpenſæ Indulgentiæ Altarium Privilegiatorum pro Defunctis, neque aliæ conceſſæ eôdem modô pro Defunctis; Verùm illæ ſuſpenſæ habeantur, quas poſſunt ſibi conſequi vivi, ut eas poſſint concedere animabus Purgatorii per modum Suffragii.*

Ratio hujus declarationis Pontificis quoad ſecundam partem, hæc eſſe poteſt. Ceſſante principali corruit acceſſorium; quòd autem hujuſmodi Indulgentiæ poſſint applicari Defunctis, eſt acceſſorium, proinde, dum ſuſpenduntur omnes Indulgentiæ pro vivis, etiam illæ, quæ poſſent Defunctis applicari, ſuſpenduntur.

Accedit, quòd reſtrictio iſta Indulgentiarum ma-

magìs reddat homines ſollicitos lucrandi Indulgentias immediatè pro Defunctis conceſſas.

10. Hinc tempore Iubilæi ſuſpenſa manet Indulgentia Communionis generalis conceſſa iis, qui unâ ex Dominicis cujuſcumque menſis à Patribus Societatis deſignatâ confeſſi Sacram accipiunt Synaxim, orantes pro exaltatione Eccleſiæ, hæreſum extirpatione, & concordiâ Principum Chriſtianorum. Hujuſmodi enim Indulgentia non eſt immediatè conceſſa pro Defunctis, ſed pro vivis, per modum tamen Suffragii applicabilis pro Defunctis, quâ de re jam Clementem X. loquentem audivimus.

Eôdem modô ſuſpenditur & Indulgentia plenaria, quam ſingulis primis Dominicis cujuſlibet menſes lucrari poſſunt Fideles in Eccleſiis FF. Prædicatorum, cum & illa per modum Suffragii Defunctis ſit applicabilis, & aliæ, ſi quæ ullibi eô quoque pactô conceſſæ ſint.

11. Hâc occaſione non inutiliter quæri poſſet, an Indulgentiæ proſint mortuis infallibiliter?

Digreſſio, An Indulgentiæ proſint mortuis infallibiliter.

Reſponſio eſt *negativa* pro 2. parte.

Duæ autem hîc partes probandæ ſunt, prima, quòd proſint mortuis, altera, quòd non proſint infallibiliter.

Probatur itaque prima pars ex D. Thomâ in Suppl quæſt. 73. art. 10. in corp. *Si Indulgentia ſub hâc formâ fiat: quicumque fecerit hoc, vel illud; ipſe vel pater ejus, vel quicumque alius ei adjunctus in Purgatorio detentus, tantum de Indulgentiâ habebit: talis Indulgentia non ſolùm vivo, ſed etiam mortuo proderit: non enim eſt aliqua ratio, quare Eccleſia transferre poſſit communia merita, quibus Indulgentiæ innituntur, in vi-*

vos,

vos, & non in mortuos. Pergens deinde ad Indulgentias, quæ tantùm Defunctis applicantur, ſic ait. *Quòd Defunctis proſint Indulgentiæ, patet ex uſu Eccleſiæ, ſic eas applicantis, & ex conceſſione, ac declaratione Pontificum, quorum authoritate applicantur. Ab octingentis enim ferè annis Paſchalis Primus Indulgentiam pro Defunctis conceſſit in Eccleſiâ S. Praxedis pro miſſis ibi ad ſolatium Defunctorum & liberationem celebrandis, præter alias paſſim, quas & alii Pontifices poſteriores conceſſerunt*, & poſt Doctoris Angelici tempora in re tam juſtâ auxerunt.

Horum omnium ratio eſt, quòd fideles Defuncti ſint nobiſcum ejuſdem corporis myſtici membra, per fidem, & charitatem alligata. Cum enim ideò privati ſuffragia, & ſatisfactiones ſuas poſſint applicare Defunctis, utpote membris ejuſdem corporis, per conſequens poteſt & Summus Pontifex eis applicare ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum, cum ipſe ſit diſpenſator theſauri, & theſaurus ſit pro corpore myſtico totius Eccleſiæ nondum triumphantis. Unde *charitas, quæ eſt vinculum Eccleſiæ membra uniens, non ſolùm ad vivos ſe extendit, ſed etiam ad mortuos, qui in charitate decedunt*. S. Doctor in Suppl. q. 73. art. 2. in corp. Extendit ſe, inquam, etiam *ad Mortuos*, ſi Pontifex in formâ Indulgentiarum exprimat, quòd illis eas concedat. Etſi enim quilibet poſſit opus ſuum proprium applicare cui voluerit, atque ita pro illo ſatisfacere, Indulgentiam tamen nemo poteſt applicare alicui, niſi ex intentione concedentis. Nam privatus quiſque non eſt diſpenſator theſauri ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum, ſed Pontifex, qui Indulgentiam concedit.

Pro-

12. Probatur modò ſecunda pars,ſcilicet,quòd Indulgentiæ non proſint mortuis infallibiliter. Dicit enim perſpicuè S. Auguſtinus in Enchiridion cap. 109. *Suffragia eis ſolùm proſunt, qui cum viverent, hæc ſibi, ut poſtea poſſent prodeſſe, meruerunt.*

Suffragatur Auguſtino Angelicus in ſuppl. quæſt. citatâ art. 3. ad 6. *Ad hoc*, inquit, *quòd ſuffragium alicui valeat; requiritur ex parte ejus, pro quo fit,capacitas hujuſmodi valoris: & hãc homo acquiſivit per opera propria,quæ geſſit in vitâ,* præſertim ſuccurrẽdo,dum viveret,etiam Defunctis.

Deinde, licèt Indulgentiæ in vivis infallibiliter ſuum ſortiantur effectum, non tamen ita in Defunctis. In vivos enim Papa habet authoritatem, cum ſint ejus fori, Defunctis verò concedit Indulgentias tantùm deprecativas, quæ effectum ſolùm nanciſcuntur ex miſericordiâ Dei, & juxta beneplacitum ejus, attentis tamen meritis eorum,(quibus applicantur)dum erant in vitâ.

Hinc, etſi pro Defuncto celebrata ſit Miſſa ad Altare privilegiatum, vel aliter ſit ei applicata Indulgentia plenaria, non ſolent homines eſſe ſecuri de illius liberatione, neque ideò deſiſtunt ab aliis ſuffragiis pro eodem offerendis. Non videntur igitur Defunctis Indulgentiæ prodeſſe infallibiliter.

Indulgentię quidem tantùm valent,quantùm ſonant, ſonant autem Indulgentiæ liberationem v. g. unius animæ è Purgatorio, quotieſcumque aliquis in Altari Privilegiato celebraverit; ſed hoc eſt intelligendum juxta meritum ſubjecti, cui Sacrificium applicatur. Hinc Fideles ſtimulantur, ut præter pœnitentiæ opera, Defunctorum quoque hâc in vitâ in pręcibus ſint memores.

13.

13. Concluſio quarta.

Non ſuſpenduntur Indulgentiæ pro articulo mortis conceſſæ.

Nō ſuſpenduntur Indulgentiæ conceſſę pro articulo mortis.

Probatur. Quia in generali diſpoſitione non veniunt, quæ non eſſet quis in ſpecie comprehenſurus, *ex lege in obligatione generali, ff. de pignoribus*: Ex pietate autem Pontificum non præſumitur, quòd voluerint annô Jubilæi ſub ſuſpenſione Indulgentias pro Agonizantibus comprehendere, cum eis Eccleſia omnibus velit modis opitulari.

Deinde, articulus mortis eſt ſpeciali notâ dignus, & ideò non cenſetur cōprehenſus, niſi de eo fiat ſpecialis mentio: deniq;ue, ſic Clemens X. *Non habeantur ſuſpenſæ, conceſſæ in articulo mortis.*

14. Dubium hîc oritur, an dum alicui conceduntur Indulgentię ad ſeptennium, & interim occurrit annus Jubilęi, quô proindè tempore ſuſpenduntur Indulgentiæ, dubium, inquam, oritur, an tunc illæ tantùm durent uſque ad ſexennium, ita ut Annus Jubilæi etiam computetur pro anno?

Caſus circa durationem Indulgentiarum ratione Jubilæi.

R. Tantùm durare ad ſexennium in illo caſu, duraturas utique uſque ad ſeptennium, niſi annus Jubilæi obſtaret, qui jam per accidens, unum annum Indulgentiarum tollit. Sic ſe habet praxis, quæ ſeptennium conſiderat ſolidum, niſi quædam obſtent, obſtat autem hîc Jubilæum.

Secùs dicendum foret, ſi Indulgentiæ concederentur ad ſeptennium *citra Annum Jubilæi*, tunc enim Annus Jubilæi (cum Indulgentiæ tantùm valeant, quantùm ſonant) non computaretur, ſed concederetur ſolidum ſeptennium, cum Jubilæo verò octennium.

15. Ratione tituli *de ſuſpenſione Indulgentiarum, aliarumque facultatum, durante annô Jubilæi*, reſtat inquirendum, an ſuſpendantur omnes fa-

facultates abſolvendi à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis?

An ſuſpendantur omnes facultates abſolvendi à reſervatis Papæ.

R. Omnes duntaxat præfatas facultates ſuſpendi conceſſas intuitu Indulgentiarum in Urbe obtinendarum. Ita enim ſonat tenor Bullæ ſuſpenſivæ. *Cupientes*, (noviſſimè Modernus Pontifex) *ut Chriſtianæ Nationes ex omnibus terrarum Orbis locis in almâ Urbe noſtrâ in Fidei, ac Religionis unitate congregatæ, quô maximô fieri poterit; concurſu Baſilicas præfatas, durante eôdem Jubilæo, viſitent: omnes, & ſingulas Indulgentias, ac FACULTATES ABSOLVENDI, ETIAM A' CASIBUS SEDI APOSTOLICÆ RESERVATIS, ſuſpendimus.*

Hinc non ſuſpenditur facultas, quam habent Epiſcopi ex Tridont. Seſſ. 24. cap. 6. abſolvendi ab occultis Papæ reſervatis, & diſpenſandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, & non deductis in forum contentioſum, (exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario) aut facultas abſolvendi impeditos adire Sedem Romanam. Ratio eſt, quia hujuſmodi facultates competunt Epiſcopis ratione officii, & de jure communi.

Idem dicendum eſt de facultatibus, quas Prælati Regulares habent ratione proprii muneris in ordine ad abſolvendum Subditos.

QUÆSTIO VI.

De Diſpoſitione ad lucrandum Jubilæum requiſitâ.

QUæritur hîc primò, quinam ſint Jubilæi capaces?

Con-

Concluſio prima.

1. *Solus Baptizatus eſt capax Jubilæi, non tamen excommunicatus.* *Solus Baptizatus eſt capax Jubilæi, non tamen excommunicatus.*

Probatur prior pars, quia actus juriſdictionis, qui exercetur concedendo Indulgentias vi vis per modum abſolutionis, non poteſt exerceri niſi in Subditum, non baptizatus autem non eſt ſubditus Eccleſiæ.

Probatur ſecunda pars. Quia Excommunicatus privatur per excommunicationem communibus Eccleſiæ ſuffragiis, & bonis inter membra Eccleſiæ unita dividendis.

2. Sed poteſtne Catechumeno in gratiâ exiſtenti concedi Indulgentia per modum ſolutionis, & Suffragii eô modô, quô concedi poteſt à Pontifice animabus in Purgatorio detentis? *Nec Catechumenus.*

R. Negativè. Nondum enim ſunt ingreſſi Eccleſiam. Sicut igitur ante Baptiſmum nequit Sacramentum ullum conferri catechumenis, utpote extra Eccleſiam exiſtentibus, ita nec illis applicari poteſt Indulgentia. Fideles verò Defuncti ſunt in Eccleſiâ; proinde animabus illorum per modum ſuffragii valet applicari Indulgentia.

3. Poteſt quidem (ut tacitæ objectioni occurratur) ſuas quilibet ſatisfactiones pro Catechumeno offerre, cum quilibet ſuarum ſatisfactionum ſit Dominus; non tamen poteſt Pontifex pro illo offerre ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum. Pontifex enim eſt diſpenſator ſatisfactionum communium, juxta præceptum Chriſti Domini, Chriſtus verò non præſumitur velle, ut illæ diſpenſentur iis, qui Eccleſiam ſuam viſibilem nondum ſunt ingreſſi. *Tacita objectio.*

4. Quid cenſendum de carentibus uſu rationis,

nis, ſuntne illi Indulgentiarum capaces?

Non perpetuò amentes. Si careant ex defectu ætatis, certum eſt, eſſe Indulgentiarum incapaces; cum enim nullam culpam commiſerint, non ſunt capaces remiſſionis pænarum culpis dimiſſis debitarum, quæ per Indulgentiam confertur.

Pariformiter loquendum de adultis, in quibus nunquam rationis uſus affulſit, ſeu perpetuò amentes ſunt.

An illius ſint capaces, quibus amentia ſupervenit. At quid de illis, quibus amentia ſupervenit? R. Sub diſtinctione. Vel amentia ſupervenit jam occupatis exequendo opera pro Indulgentiâ injuncta, vel ante Indulgentiam eis inſinuatam, & inchoationem operum pro eâ lucrandâ injunctorum. Si prius, videntur eſſe Indulgentiæ capaces, cum jam inceperint requiſita præſtare opera, & reliquorum operum executio ſit voluntaria in ſuâ causâ. Unde præſtiterunt id, quod potuerunt.

Si poſterius, ſunt Indulgentiæ incapaces tum ob ignorantiam Indulgentiæ, tum quia nullus ab eis actus pro lucrandâ Indulgentiâ elicitur. Audiatur S. Doctor in Suppl. quæſt. 27. art. 3. in corp. *non exiſtente*, inquit, *conditione, non conſequitur* quiſpiam *illud, quod ſub conditione datur: unde cum Indulgentia detur ſub hâc conditione, quòd aliquis aliquid faciat* formaliter, vel virtualiter, ſeu in ſuâ causâ, *ſi illud non exerceat, Indulgentiam non conſequitur.*

Object. Dices. Poteſt quis ſolvere pecuniam pro debito Petri, Petrô id ignorante, nullôque actu ad ſolutionem concurrente, ergo & Pontifex poteſt de theſauro Eccleſiæ ſatisfacere pro debitis pœnarum temporalium poſt culpam, pœnamque æternam remiſſam reſtantium, etiamſi de-

debitor ſpiritualis id ignoret, & nullò pactò illi ſolutioni coöperetur.

Reſp. Diſparitas eſt; quòd in ſolutione debiti pecuniarii nulla ſit adjuncta conditio, quòd illud debeat exonerari vel à debitore, vel ab alio quopiam: ſufficit, quòd in ſolutione reperiatur æqualitas rei ad rem, illa autem reperitur, ſivè ſolutio fiat à Petro debitore, ſive à Paulo: in debito verò pœnarum temporalium pro peccato dimiſſo, per Indulgentiam ſolvendo adjuncta eſt ab Indulgentiam concedente conditio, quòd hæc, vel iſta opera Indulgentiam lucraturus exequi debeat, proinde *ſi illa non exerceat, Indulgentiam non conſequitur*.

Ad Indulgentiã obtinendam, requiritur ſtatus Gratiæ.

6. Quæritur deinde, quænam præter executionem operum præceptorum, requirantur, ut alicui valeant Indulgentiæ?

Certum eſt, Indulgentias non valêre exiſtentibus in peccato mortali. Nemini enim remittitur pœna, niſi priùs aboleatur culpa, per quam reatus pœnæ contractus eſt, Indulgentiæ verò ſunt remiſſio pœnæ. Hinc in Bullis Indulgentiarum, eæ dicuntur concedi *contritis, & confeſſis*.

Inter diſpoſitiones igitur ad conſequendam Indulgentiam requiſitas præter adimpletionem operum injunctorum, requiritur ex parte ſuſcipientis Indulgentiam, ſtatus gratiæ.

7. Sed quandonam ſtatus ille eſt neceſſarius, an pro toto illo tempore, quô ponuntur opera injuncta, an pro illo tempore, quô ultimum opus perficitur?

Sit Concluſio.

Sufficit ille ſtatus Gratiæ, dum ulti-

Si in Diplomate Indulgentiarum præcisè aliter non exprimatur, ſufficit ſtatus gratiæ, dum ultimum opus perficitur.

G Pro-

ſu Chriſti, qui eos pretioſiſsimô Sanguine perfudit, dum per iſtos poſt diriſsimam flagellationem, & coronationem, in editiorem Palatii locum juſſu Pilati enîtens, ab eo confertæ Judæorum multitudini fuit exhibitus hiſce prolatis verbis. ECCE HOMO.

Devotio ſingularis erga Scalam Sanctam.

Apparent etiamnùm hodiè aliquot Sacrarum Guttarum indicia, quæ crate ferreâ Crucem ſignante diſtincta ſunt.

Gradus conſtant ex marmore: Romam verò advecti ſunt per Religioſiſsimam Imperatricem Helenam Conſtantini Magni Matrem.

Omnibus quidem diebus Scala Sancta frequentatur, ſed præſertim feriis ſextis, quòd eô die lytrum Redemptionis noſtrę ex intimis miſericordiæ, & amoris erga nos viſceribus æterno Patri ab Unigenito Dei Filio perſolutum ſit.

Suſpēduntur conceſſe viſitantibus ſeptē Eccleſias extra Urbem.

6. Nonnulli etiam, durante Annô Sanctô, extendunt Indulgentias ad alia loca *extra Urbem*, in quibus Indulgentiæ ſeptem Eccleſiarum Romanarum conceduntur viſitantibus ſeptem, vel quandoque etiam pauciores Eccleſias deſtinatas.

Sed hoc convellitur, & per Bullam ſuſpenſivam, & per expreſsionem gratiarum Clementis X., quæ expreſsè tantùm eximit à generali ſuſpenſione viſitationem prædictam Eccleſiarum *in Urbe*.

Nec opinioni illi patrocinatur famoſum illud. *Probabile eſt, Indulgentias, durante Annô Sanctô, ſic extendi*: etenim probabilitas iterum non eſt ſecura in moralibus regula.

Suſpenduntur conceſſe Domui Lauretanæ.

7. Hinc quoque, proſtratô hôc probabilitatis principiô, ſuſpenduntur, durante eôdem Iubilæô, Indulgentiæ conceſſæ domui auguſtiſsimæ Lauretanæ, & Indulgentiæ Compoſtellanæ.

8. At

8. At quid de Indulgentiâ *Portiunculæ*, duratne illa tempore Iubilæi?

R. Non durare in Eccleſiis ab Aſsiſienſi diſtinctis, in quantùm illa à Pontifice aliis PP. Minorum Eccleſiis conceſſa eſt, durare verò, & non ſuſpendi in Aſsiſienſi, communiter dictâ Eccleſiâ *Sanctæ Mariæ Angelorum*, cum Benedictus XII. in ſuâ Bullâ afferat, Indulgentiam ibi eſſe conceſſam à Chriſto Domino; Pontifex autem nequeat, utpote Chriſtô inferior, ſuſpendere Indulgentiam à Chriſto conceſſam.

Non ſuſpenditur Indulgentia Portiunculæ Aſſiſiis, ſuſpenditur extra iſtū locum.

9. Concluſio tertia.

Non ſuſpenduntur Indulgentię immediatè pro Defunctis conceſſæ, adeòque nòn ſuſpenduntur Indulgentiæ conceſſæ Altaribus privilegiatis, ut ſcilicet anima è Purgatorio liberetur, ſuſpenduntur tamen, quæ vivis conceduntur, applicabiles pro Defunctis.

Non ſuſpēduntur Indulgentiæ cōceſſæ Defunctis immediatè, ſecùs conceſſæ vivis, & mortuis.

Concluſio conſtat ex Clemente X. In *ſuſpenſione*, inquit, *generali Indulgentiarum, non intelliguntur ſuſpenſæ Indulgentiæ Altarium Privilegiatorum pro Defunctis, neque aliæ conceſſæ eôdem modô pro Defunctis; Verùm illæ ſuſpenſæ habeantur, quas poſſunt ſibi conſequi vivi, ut eas poſſint concedere animabus Purgatorii per modum Suffragii.*

Ratio hujus declarationis Pontificis quoad ſecundam partem, hæc eſſe poteſt. Ceſſante principali corruit acceſſorium; quòd autem hujuſmodi Indulgentiæ poſſint applicari Defunctis, eſt acceſſorium, proinde, dum ſuſpenduntur omnes Indulgentiæ pro vivis, etiam illæ, quæ poſſent Defunctis applicari, ſuſpenduntur.

Accedit, quòd reſtrictio iſta Indulgentiarum ma-

magìs reddat homines ſollicitos lucrandi Indulgentias immediatè pro Defunctis conceſſas.

10. Hinc tempore Iubilæi ſuſpenſa manet Indulgentia Communionis generalis conceſſa iis, qui unâ ex Dominicis cujuſcumque menſis à Patribus Societatis deſignatâ confeſſi Sacram accipiunt Synaxim, orantes pro exaltatione Eccleſiæ, hæreſum extirpatione, & concordiâ Principum Chriſtianorum. Hujuſmodi enim Indulgentia non eſt immediatè conceſſa pro Defunctis, ſed pro vivis, per modum tamen Suffragii applicabilis pro Defunctis, quâ de re jam Clementem X. loquentem audivimus.

Eôdem modô ſuſpenditur & Indulgentia plenaria, quam ſingulis primis Dominicis cujuſlibet menſes lucrari poſſunt Fideles in Eccleſiis FF. Prædicatorum, cum & illa per modum Suffragii Defunctis ſit applicabilis, & aliæ, ſi quæ ullibi eô quoque pactô conceſſæ ſint.

11. Hâc occaſione non inutiliter quæri poſſet, an Indulgentiæ proſint mortuis infallibiliter?

Digreſſio, An Indulgentia proſint mortuis infallibiliter.

Reſponſio eſt *negativa* pro 2. parte.

Duæ autem hîc partes probandæ ſunt, prima, quòd proſint mortuis, altera, quòd non proſint infallibiliter.

Probatur itaque prima pars ex D. Thomâ in Suppl. quæſt. 73. art. 10. in corp. *Si Indulgentia ſub hâc formâ fiat: quicumque fecerit hoc, vel illud; ipſe vel pater ejus, vel quicumque alius ei adjunctus in Purgatorio detentus, tantum de Indulgentiâ habebit: talis Indulgentia non ſolùm vivo, ſed etiam mortuo proderit: non enim eſt aliqua ratio, quare Eccleſia transferre poſſit communia merita, quibus Indulgentiæ innituntur, in vivos,*

vos, & non in mortuos. Pergens deinde ad Indulgentias, quæ tantùm Defunctis applicantur, ſic ait. *Quòd Defunctis proſint Indulgentiæ, patet ex uſu Eccleſiæ, ſic eas applicantis, & ex conceſſione, ac declaratione Pontificum, quorum authoritate applicantur. Ab octingentis enim ferè annis Paſchalis Primus Indulgentiam pro Defunctis conceſſit in Eccleſiâ S. Praxedis pro miſſis ibi ad ſolatium Defunctorum & liberationem celebrandis, præter alias paſſim, quas & alii Pontifices poſteriores conceſſerunt*, & poſt Doctoris Angelici tempora in re tam juſtâ auxerunt.

Horum omnium ratio eſt, quòd fideles Defuncti ſint nobiſcum ejuſdem corporis myſtici membra, per fidem, & charitatem alligata. Cum enim ideò privati ſuffragia, & ſatisfactiones ſuas poſſint applicare Defunctis, utpote membris ejuſdem corporis, per conſequens poteſt & Summus Pontifex eis applicare ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum, cum ipſe ſit diſpenſator theſauri, & theſaurus ſit pro corpore myſtico totius Eccleſiæ nondum triumphantis. Unde *charitas, quæ eſt vinculum Eccleſiæ membra uniens, non ſolùm ad vivos ſe extendit, ſed etiam ad mortuos, qui in charitate decedunt*. S. Doctor in Suppl. q. 73. art. 2. in corp. Extendit ſe, inquam, etiam *ad Mortuos*, ſi Pontifex in formâ Indulgentiarum exprimat, quòd illis eas concedat. Etſi enim quilibet poſſit opus ſuum proprium applicare cui voluerit, atque ita pro illo ſatisfacere, Indulgentiam tamen nemo poteſt applicare alicui, niſi ex intentione concedentis. Nam privatus quiſque non eſt diſpenſator theſauri ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum, ſed Pontifex, qui Indulgentiam concedit.

Pre-

12. Probatur modò ſecunda pars,ſcilicet,quòd Indulgentiæ non proſint mortuis infallibiliter. Dicit enim perſpicuè S. Auguſtinus in Enchiridion cap. 109. *Suffragia eis ſolùm proſunt, qui cum viverent, hæc ſibi, ut poſtea poſſent prodeſſe, meruerunt.*

Suffragatur Auguſtino Angelicus in ſuppl. quæſt. citatâ art. 3. ad 6. *Ad hoc, inquit, quòd ſuffragium alicui valeat; requiritur ex parte ejus, pro quo fit,capacitas hujuſmodi valoris:& hāc homo acquiſivit per opera propria,quæ geſſit in vitâ,* præſertim ſuccurrēdo,dum viveret,etiam Defunctis.

Deinde, licèt Indulgentiæ in vivis infallibiliter ſuum ſortiantur effectum, non tamen ita in Defunctis. In vivos enim Papa habet authoritatem, cum ſint ejus fori, Defunctis verò concedit Indulgentias tantùm deprecativas, quæ effectum ſolùm nanciſcuntur ex miſericordiâ Dei, & juxta beneplacitum ejus, attentis tamen meritis eorum,(quibus applicantur)dum erant in vitâ.

Hinc, etſi pro Defuncto celebrata ſit Miſſa ad Altare privilegiatum, vel aliter ſit ei applicata Indulgentia plenaria, non ſolent homines eſſe ſecuri de illius liberatione, neque ideò deſiſtunt ab aliis ſuffragiis pro eodem offerendis. Non videntur igitur Defunctis Indulgentiæ prodeſſe infallibiliter.

Indulgentię quidem tantùm valent,quantùm ſonant, ſonant autem Indulgentiæ liberationem v. g. unius animæ è Purgatorio, quotieſcumque aliquis in Altari Privilegiato celebraverit; ſed hoc eſt intelligendum juxta meritum ſubjecti, cui Sacrificium applicatur. Hinc Fideles ſtimulantur, ut præter pœnitentiæ opera, Defunctorum quoque hâc in vitâ in precibus ſint memores.

13.

13. Concluſio quarta.

Non ſuſpenduntur Indulgentiæ pro articulo mortis conceſſæ.

Nō ſuſpenduntur Indulgentiæ conceſſæ pro articulo mortis.

Probatur. Quia in generali diſpoſitione non veniunt, quæ non eſſet quis in ſpecie comprehenſurus, *ex lege in obligatione generali, ff. de pignoribus*: Ex pietate autem Pontificum non præſumitur, quòd voluerint annô Jubilæi ſub ſuſpenſione Indulgentias pro Agonizantibus comprehendere, cum eis Eccleſia omnibus velit modis opitulari.

Deinde, articulus mortis eſt ſpeciali notâ dignus, & ideò non cenſetur cōprehenſus, niſi de eo fiat ſpecialis mentio: deniq; ue, ſic Clemens X. *Non habeantur ſuſpenſæ, conceſſæ in articulo mortis.*

14. Dubium hîc oritur, an dum alicui conceduntur Indulgentię ad ſeptennium, & interim occurrit annus Jubilęi, quô proindè tempore ſuſpenduntur Indulgentiæ, dubium, inquam, oritur, an tunc illæ tantùm durent uſque ad ſexennium, ita ut Annus Jubilæi etiam computetur pro anno?

Caſus circa durationem Indulgentiarum ratione Jubilæi.

R. Tantùm durare ad ſexennium in illo caſu, duraturas utique uſque ad ſeptennium, niſi annus Jubilæi obſtaret, qui jam per accidens, unum annum Indulgentiarum tollit. Sic ſe habet praxis, quæ ſeptennium conſiderat ſolidum, niſi quædam obſtent, obſtat autem hìc Jubilæum.

Secùs dicendum foret, ſi Indulgentiæ concederentur ad ſeptennium *citra Annum Jubilæi*, tunc enim Annus Jubilæi (cum Indulgentiæ tantùm valeant, quantùm ſonant) non computaretur, ſed concederetur ſolidum ſeptennium, cum Jubilæo verò octennium.

15. Ratione tituli *de ſuſpenſione Indulgentiarum, aliarumque facultatum, durante annô Jubilæi*, reſtat inquirendum, an ſuſpendantur omnes

fa-

facultates abſolvendi à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis?

An ſuſpendantur omnes facultates abſolvendi à reſervatis Papæ.

R. Omnes duntaxat præfatas facultates ſuſpendi conceſſas intuitu Indulgentiarum in Urbe obtinendarum. Ita enim ſonat tenor Bullæ ſuſpenſivæ. *Cupientes*, (noviſſimè Modernus Pontifex) *ut Chriſtianæ Nationes ex omnibus terrarum Orbis locis in almâ Urbe noſtrâ in Fidei, ac Religionis unitate congregatæ, quô maximô fieri poterit; concurſu Baſilicas præfatas, durante eôdem Jubilæo, viſitent: omnes, & ſingulas Indulgentias, ac FACULTATES ABSOLVENDI, ETIAM A' CASIBUS SEDI APOSTOLICÆ RESERVATIS, ſuſpendimus.*

Hinc non ſuſpenditur facultas, quam habent Epiſcopi ex Trident. Seſſ. 24. cap. 6. abſolvendi ab occultis Papæ reſervatis, & diſpenſandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, & non deductis in forum contentioſum, (exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario) aut facultas abſolvendi impeditos adire Sedem Romanam. Ratio eſt, quia hujuſmodi facultates competunt Epiſcopis ratione officii, & de jure communi.

Idem dicendum eſt de facultatibus, quas Prælati Regulares habent ratione proprii muneris in ordine ad abſolvendum Subditos.

QUÆSTIO VI.

De Diſpoſitione ad lucrandum Jubilæum requiſitâ.

QUæritur hîc primò, quinam ſint Jubilæi capaces?

Con-

Concluſio prima.

1. *Solus Baptizatus eſt capax Jubilæi, non tamen excommunicatus.*

Solus Baptizatus eſt capax Jubilæi, non tamen excommunicatus.

Probatur prior pars, quia actus juriſdictionis, qui exercetur concedendo Indulgentias vi vis per modum abſolutionis, non poteſt exerceri niſi in Subditum, non baptizatus autem non eſt ſubditus Eccleſiæ.

Probatur ſecunda pars. Quia Excommunicatus privatur per excommunicationem communibus Eccleſiæ ſuffragiis, & bonis inter membra Eccleſiæ unita dividendis.

Nec Catechumenus.

2. Sed poteſtne Catechumeno in gratiâ exiſtenti concedi Indulgentia per modum ſolutionis, & Suffragii eô modô, quô concedi poteſt à Pontifice animabus in Purgatorio detentis?

R. Negativè. Nondum enim ſunt ingreſſi Eccleſiam. Sicut igitur ante Baptiſmum nequit Sacramentum ullum conferri catechumenis, utpote extra Eccleſiam exiſtentibus, ita nec illis applicari poteſt Indulgentia. Fideles verò Defuncti ſunt in Eccleſiâ; proinde animabus illorum per modum ſuffragii valet applicari Indulgentia.

Tacita objectio.

3. Poteſt quidem (ut tacitæ objectioni occurratur) ſuas quilibet ſatisfactiones pro Catechumeno offerre, cum quilibet ſuarum ſatisfactionum ſit Dominus; non tamen poteſt Pontifex pro illo offerre ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum. Pontifex enim eſt diſpenſator ſatisfactionum communium, juxta præceptum Chriſti Domini, Chriſtus verò non præſumitur velle, ut illæ diſpenſentur iis, qui Eccleſiam ſuam viſibilem nondum ſunt ingreſſi.

4. Quid cenſendum de carentibus uſu rationis,

nis, ſuntne illi Indulgentiarum capaces?

Non perpetuò amentes. Si careant ex defectu ætatis, certum eſt, eſſe Indulgentiarum incapaces; cum enim nullam culpam commiſerint, non ſunt capaces remiſſionis pænarum culpis dimiſſis debitarum, quæ per Indulgentiam confertur.

Pariformiter loquendum de adultis, in quibus nunquam rationis uſus affulſit, ſeu perpetuò amentes ſunt.

An illius ſint capaces, quibus amentia ſupervenit. At quid de illis, quibus amentia ſupervenit? R. Sub diſtinctione. Vel amentia ſupervenit jam occupatis exequendo opera pro Indulgentiâ injuncta, vel ante Indulgentiam eis inſinuatam, & inchoationem operum pro eâ lucrandâ injunctorum. Si prius, videntur eſſe Indulgentiæ capaces, cum jam inceperint requiſita præſtare opera, & reliquorum operum executio ſit voluntaria in ſuâ causâ. Unde præſtiterunt id, quod potuerunt.

Si poſterius, ſunt Indulgentiæ incapaces tum ob ignorantiam Indulgentiæ, tum quia nullus ab eis actus pro lucrandâ Indulgentiâ elicitur. Audiatur S. Doctor in Suppl. quæſt. 27. art. 3. in corp. *non exiſtente*, inquit, *conditione*, *non conſequitur* quiſpiam *illud*, *quod ſub conditione datur*: *unde cum Indulgentia detur ſub hâc conditione*, *quòd aliquis aliquid faciat* formaliter, vel virtualiter, ſeu in ſuâ causâ, *ſi illud non exerceat*, *Indulgentiam non conſequitur*.

Object. Dices. Poteſt quis ſolvere pecuniam pro debito Petri, Petrô id ignorante, nullôque actu ad ſolutionem concurrente, ergo & Pontifex poteſt de theſauro Eccleſiæ ſatisfacere pro debitis pœnarum temporalium poſt culpam, pœnamque æternam remiſſam reſtantium, etiamſi de-

debitor ſpiritualis id ignoret, & nullô pactô illi ſolutioni coöperetur.

Reſp.

Diſparitas eſt; quòd in ſolutione debiti pecuniarii nulla ſit adjuncta conditio, quòd illud debeat exonerari vel à debitore, vel ab alio quopiam: ſufficit, quòd in ſolutione reperiatur æqualitas rei ad rem, illa autem reperitur, ſivè ſolutio fiat à Petro debitore, ſive à Paulo: in debito verò pœnarum temporalium pro peccato dimiſſo, per Indulgentiam ſolvendo adjuncta eſt ab Indulgentiam concedente conditio, quòd hæc, vel iſta opera Indulgentiam lucraturus exequi debeat, proinde *ſi illa non exerceat, Indulgentiam non conſequitur.*

Ad Indulgentiã obtinendam, requiritur ſtatus Gratiæ.

6. Quæritur deinde, quænam præter executionem operum præceptorum, requirantur, ut alicui valeant Indulgentiæ?

Certum eſt, Indulgentias non valêre exiſtentibus in peccato mortali. Nemini enim remittitur pœna, niſi priùs aboleatur culpa, per quam reatus pœnæ contractus eſt, Indulgentiæ verò ſunt remiſſio pœnæ. Hinc in Bullis Indulgentiarum, eæ dicuntur concedi *contritis, & confeſſis.*

Inter diſpoſitiones igitur ad conſequendam Indulgentiam requiſitas præter adimpletionem operum injunctorum, requiritur ex parte ſuſcipientis Indulgentiam, ſtatus gratiæ.

7. Sed quandonam ſtatus ille eſt neceſſarius, an pro toto illo tempore, quô ponuntur opera injuncta, an pro illo tempore, quô ultimum opus perficitur?

Sit Concluſio.

Sufficit ille ſtatus Gratiæ, dum ulti-

Si in Diplomate Indulgentiarum præciſè aliter non exprimatur, ſufficit ſtatus gratiæ, dum ultimum opus perficitur.

mum opus perficitur. Probatur. Pontifices requirunt, ut Romani Eccleſias viſitent per triginta dies, Exteri verò per quindecim; moraliter autem vix contingit, ut omnes illæ viſitationes paſſim fiant ab omnibus in ſtatu gratiæ.

Deinde, in Jubilæo *duarum hebdomadarum*, præſcribitur jejunium feriis quartâ, ſextâ, & Sabbathô, cum confeſſione vel præviâ, vel ſequente; ſignum ergo eſt, non eſſe neceſſarium, ut opus omne injunctum impleatur in ſtatu gratiæ; cum multi non ſint juſti ante confeſſionem.

Object. 8. Objicies. Opera injunguntur in obſequium Dei, ſed opera extra ſtatum gratiæ, cum ſint opera inimici Dei, non poſſunt eſſe in Dei obſequium, ergo illa non ſunt opera ad obtinendum Jubilæum, unde ut illud obtineant, debent fieri in ſtatu gratiæ.

Reſp. R. Diſtinguendo minorem. Opera extra ſtatum gratiæ, ſeu peccatoris non poſſunt eſſe in obſequium Dei, tanquam meritoria vitæ æternæ, concedo minorem, tanquam moraliter bona, nego minorem. Licèt enim ſint opera inimici, ſunt tamen opera inimici tendentis ad reconciliationem cum Deo. Quemadmodum igitur *contritio imperfecta: etiam Dei donum eſt, & Spiritus Sancti impulſus, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quô pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat*, Concil. Trid. Seſſ. 14. cap. 4. Ita quoque opera pro Jubilæo obtinendo, quamvis à peccatore præſtita, ſunt tamen Dei dona eum ad ſe moventis, & ad juſtificationem diſponentis. Proinde opus non eſt, ut omnia opera pro Jubilæo adipiſcendo injuncta fiant in ſtatu gratiæ.

9. Quid

9. Quid dicendum igitur de illâ nonnullorum ſententiâ, quòd pauci admodùm lucrentur Indulgentias? *An pauci lucrentur Indulgentias?*

Nullus, inquiunt, poteſt ſcire, ſe eſſe in ſtatu gratiæ, quæ tamen ad obtinendas Indulgentias requiritur, pauci igitur, imo vix ullus eas conſequitur.

Sed audiatur D. Th. 1. 2. quæſt. 112. art. 5. in corp. ſic diſcurrens. *Nullus*, inquit, *poteſt ſcire ſe habêre gratiam certitudinaliter, certitudo enim non poteſt habêri de aliquo, niſi poſſit dijudicari per proprium principium. Unde nullus poſſet ſcire, ſe habêre ſcientiam alicujus concluſionis, ſi principium ignoraret. Principium autem gratiæ, & objectum ejus eſt ipſe Deus, qui propter ſui excellentiam eſt nobis ignotus, ſecundùm illud Job. 36. Ecce Deus magnus vincens ſcientiam noſtram: & ideò homo non poteſt per certitudinem dijudicare, utrum ipſe habeat gratiam ſecundùm illud. 1. ad Corinth. 4. ſed neque meipſum judico: qui autem judicat me, Dominus eſt. Aliô modô cognoſcitur aliquid conjecturaliter per aliqua ſigna. Et hoc modô ALIQUIS COGNOSCERE POTEST SE HABERE GRATIAM, in quantùm ſcilicet percipit ſe delectari in Deo, & contemnere res mundanas, & in quantùm homo non eſt conſcius ſibi alicujus peccati mortalis.* Sic igitur in præſenti, in quantùm homo vel delectatur in Domino, vel potiſſimùm in quantum non eſt ſibi conſcius alicujus peccati mortalis, poteſt cognoſcere, ſe eſſe in ſtatu gratiæ, adeòque lucrari Indulgentias, ac proinde falſum eſt, quòd pauci, imò vix ullus eas conſequatur. Dantur enim multi, qui ſibi nullius lethiferi peccati ſint conſcii. Unde hæc cavillatio eò vergere videtur, ut teporem ali-

quem bonis operibus inſerat, atque ita hominem à proſecutione virtutis, & ab evitandis per fructum Indulgentiarum Purgatorii pœnis arceat.

Itaque & hunc ſcopulum, Chriſtiane, declina, & ſummô ſtudiô dum per vitam licet (poſt quam, ſi quis tui in flammis piacularibus recordetur, non applicabuntur tibi Indulgentiæ niſi per modum Suffragii) in amplam earum conſecutionem incumbe.

10. Hoc tamen hîc accuratè obſervandum eſt, quòd ſi quis affectum gerat erga quoddam peccatum veniale eô tempore, quô ultimũ opus exequitur ordinatum ad impetrationem Jubilæi, conſequatur quidem vi Indulgentiæ plenariȩ remiſſionem pœnȩ aliis peccatis venialibus, & mortalibus remiſſis debitȩ, non tamen remiſſionem pœnȩ debitæ illi peccato veniali, erga quod, dum ultimum opus exequitur, etiamnum affectum gerit, quodque proinde illi remiſſum non eſt.

Ratio eſt, quia remanente culpa, non remittitur pœna, hîc autem remanet culpa, venialis ſcilicet, proinde talis non conſequitur remiſſionem pœnæ peccato illi veniali, debitæ.

Tacita objectio. 11. Indulgentia quidem plenaria, quam hic obtinet (ut tacitæ objectioni occurratur) tollit omnem pœnam, ſed tantùm juxta capacitatem ſubjecti. Unde Indulgentia plenaria accommodat ſe ſubjecto. Hinc homini planè diſpoſito, omnibuſque omninò venialibus exuto omnem prorſus pœnam remittit, non autem ita non diſpoſito: nequit enim remitti pœna, non remiſsâ culpâ, proinde non tollit pœnam iſti peccato veniali non remiſſo debitam.

Qua-

Quare Indulgentia in caſu propoſito eſt plenaria, quantum eſt de ſe, & quoad pœnas peccatis mortalibus, & aliis venialibus remiſſis debitas, licèt non ſit plenaria quoad omnem omnino effectum, ſcilicet remiſſionem pœnæ peccato veniali non remiſſo debitæ.

Hinc quilibet, dum ultimum opus exequitur, ita illud conetur exercêre, ut omnem omnino affectum erga quodcumque veniale exuat. Id aliis Indulgentiis obtinendis applica.

12. Qualis modò intentio requiritur ad lucrandam Indulgentiam? **Ad Indulgentiam lucrandam requiritur intentio actualis, vel virtualis.**

Concluſio.

Ad lucrandam Indulgentiam requiritur intentio actualis, vel virtualis illam lucrandi.

Probatur. Homo non debet cæcô, ſed humanô modô procedere, ſcire proinde quid agat, & cur agat, ſeu operetur, quidni igitur & ad lucrandam Indulgentiam requiratur intentio actualis, vel virtualis illam lucrandi?

Confirmatur. In Sacerdote celebraturo requiritur intentio, vel actualis, vel virtualis conſecrandi; in audituro ſacrum diebus feſtis intentio eadem faciendi ſatìs Præcepto Eccleſiæ, ergò ſic pariter de lucraturo Indulgentias diſcurrendum eſt.

13. Hinc ruit quorumdam opinio contendentium, eum lucrari Indulgentias, qui opera pro iis injuncta præſtat, etiamſi ignoret, ea exercêri ad eas obtinendas. Sufficit enim, inquiunt, quòd ponatur opus.

Itane verò? Sufficitne ad præcepti Eccleſiaſtici impletionem auditio Sacri diebus feſtis ſinè intentione actuali, vel virtuali ſatisfaciendi præcepto Eccleſiæ? Utì igitur illìc non ſuffi-

cit auditio Sacri ſinè præfatâ intentione, ita neque hîc ſufficit poſitio operis injuncti ad lucrandas Indulgentias ſinè intentione pariformi.

14. Minùs admittenda eſt quorumdam ſententia dicentium, eum etiam ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam, etiamſi poſitivè nolit per talem Miſſæ auditionem ſatisfacere præcepto. Sic igitur juxta illos is quoque Indulgentias lucraretur injuncta præſtando opera, etiamſi per iſta poſitivè nollet ipſas lucrari. Talia memoraſſe, cum communi fidelium ſenſui repugnent, refutaſſe eſt.

Nullus poteſt pluries lucrari idē Jubilæum.

15. Supereſt diſcutiendum, an quis idem Jubilæum pluries lucrari poſſit?

Concluſio eſt *negativa*.

Id conſtat ex formâ ordinariâ, ſub quâ ſolet concedi Jubilæum, v. g. *duarum hebdomadarum*. Illa enim continet, quòd ſemel tantum in unâ, vel alterâ ſeptimanâ poſſit quis illud lucrari, & non ſemel in priori ſeptimanâ, & iterùm in poſteriori. Quia disjunctim dicitur, QUI IN PRIMA, VEL SEQUENTI SEPTIMANA *talia præſtiterit, lucrabitur Jubilæum*.

Deinde, præter Congregationem Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, quæ apud *Filliucium* tom. 1. tract. 8. num. 261. declaravit, tantùm ſemel acquiri Indulgentiam per Jubilæum, huic aſſertioni favet communis Fidelium praxis.

Caſus hîc emergētes.

16. Hinc infertur, eum, qui in priori hebdomadâ Jubilæi adimplevit opera ad lucrandum Jubilæum requiſita, fuitque tunc abſolutus à caſibus reſervatis, ſi relabatur deinde in reſervatos, non poſſe denuò lucrari Iubilæum hebdomadâ ſequenti, eâdemque iterum abſolvi à reſervatis; etiamſi repeteret opera ad Iubilæum

ac-

acquirendum requiſita; tantùm enim quis ſemel Iubilæum lucrari poteſt.

Quare nec votorum commutatio in Iubilæo fieri valet plus, quàm ſemel.

17. At quid ſi quis hebdomadâ ſecundâ recordetur alicujus peccati reſervati, cujus fuit in primâ, dum Iubilæum, opera requiſita præſtando lucrabatur, invincibiliter oblitus, nonne poſſet tunc ab illo abſolvi?

Poſſet profectò ratione oblivionis invincibilis, quæ cuilibet involuntaria eſt. Nec ideò bis lucraretur Iubilæum, quamvis & alia requiſita exequeretur, quia virtus Iubilæi ab eo primâ hebdomadâ obtenti etiam ad oblita ſe extendit, quæ ille jam clavibus Eccleſiæ ſubjicit.

Imò poſſet quilibet etiam Confeſſarius poſt tempora Iubilæi, à peccato reſervato invinciliter oblito, cujus tunc tantùm pœnitens recordaretur, illum abſolvere, ratione poteſtatis generalis, quâ quilibet gaudet Confeſſarius in peccata reſervata invincibiliter oblita.

QUÆSTIO VII.

De Operibus pro Jubilæo injunctis ut de Eccleſiarum viſitatione, jejunio, eleëmoſyna, Confeſſione, Communione.

1. SUpra Quæſtione 4. leviter perſtrinximus opera tum ad Jubilæum *Anni Sancti*, tum ad extraordinarium *duarum hebdomadarum requiſita*, nunc illa opera ſingillatim, & fuſiùs cum caſibus illîc emergentibus diſcutienda ſunt.

Quæritur hic primò, an opera aliàs debita

poſſint ſufficere pro Jubilæo lucrando?

R. Affirmativè. Poteſt enim aliquis unô, eôdemque opere ſatisfacere binis obligationibus: ut ſatisfacere eâdem auditione Miſſæ præcepto illam audiendi & ob diem Dominicam, & ob feſtum diem v. g. Sancti Matthiæ, ſi coincidant.

Opera alias debita ſufficere poſſunt pro aſſequendo Jubileo.

Id inter alia evidens eſt in materiâ jejunii: dum v. g. in Jubilæo extraordinario injunguntur jejunia incidentia in quatuor tempora. Intentio enim Pontificis eſt, ut jejunetur talibus feriis, quartâ, ſextâ, & Sabbathô, ſive in iiſdem ſit jejunandum ex quadam aliâ obligatione, ſive non.

Id nuper etiam patuit quoad *unum diem* jejunii in ultimo Jubilæo Rom. indicto à BENEDICTO XIII. pro felici Eccleſiæ regimine. Incidebat enim feria quarta primæ hebdomadæ in vigiliam SS. Petri, & Pauli, quâ erat jejunium ex præcepto Eccleſiæ: unde unô, eôdemque jejuniô fiebat ſatis cum jejunio Jubilæi, tum jejunio Eccleſiæ ob præfatam Vigiliam.

Nonnulli caſus.

2. Hinc infertur primò, poſſe impleri jejunium pro Jubilæo requiſitum, etiamſi illud etiam obligaret ex Voto: ut ſi quis ſingulis feriis ſextis ex peculiari pietate voviſſet jejunare, vel ex vi regulæ ad illud eô die teneretur.

3. Infertur ſecundò, ad lucrandum Jubilæum ſufficere; dare eleëmoſynam ei, cui aliàs debetur ex obligatione præcepti naturalis. Ut ſi quis patrem egenum aleret, ſufficeret quoad intuitum Jubilæi, ſi alimenta ob illud quoque motivum Patri inopi ſubminiſtraret. Conſulerem tamen, ut eô die illud alimentum paulò augeret.

4. Infertur tertiò, poſſe eundem die Dominicâ

câ viſitare Eccleſias, ad Jubilæum acquirendum deſtinatas, & in unâ earum fundere preces juxta intentionem Pontificis, ſimulque intereſſe Sacro: utì quis eôdem tempore poteſt audire Miſſam, quô illius auditio obligat, & unà ſub eâdem perſolvere pœnitentiam ſibi à Confeſſario injunctam, vel preces, ad quas ex voto obſtringitur, vel penſum horarum Canonicarum.

5. Quandonam ſint implenda opera pro Jubilæo injuncta, ſupra vidimus quæſtione 2. *Quandonã poſſint impleri opera pro Jubilæo injuncta.*

Debent autem implêri tempore à Bullâ prefixo, *Indulgentiæ* enim *tantùm valent, quantùm ſonant*.

Cæterùm quodnam opus ex injunctis præcedat, ad ſubſtantiam nihil intereſt.

Cum verò ultimum opus debeat fieri in ſtatu gratiæ, ut vidimus quæſtione præcedenti, & multi non ſint juſti ante confeſſionem, conſultum eſt, ſaltem peccatoribus, ut poſtremum eorum opus ſit & confeſſio, & communio.

Luſtremus modò opera ſingula.

6. Vidimus quæſtione quartâ, ad lucrandum Jubilæum *Anni Sancti* requiri, quantùm ad viſitationem Eccleſiarum, ut Romani, & Urbis incolæ per triginta dies, aut continuos, aut interpolatos, Advenæ autem per quindecim item continuos, ſeu interpolatos viſitent devotè quatuor non ſemèl memoratas Baſilicas, ibique pro Sanctæ Romanæ Eccleſiæ exaltatione, hæreſum extirpatione, Catholicorum Principum concordiâ, ac totius Populi Chriſtiani ſalute pias ad Deum preces effundant.

In Jubilæo autem extraordinario *duarum hebdomadarum* viſitandæ ſunt Eccleſiæ ab Ordinario deſignandæ. *Viſitatio Eccleſiarũ.*

7. Cæ-

Quinam intelligantur nomine Romanorum, aut Incolarum Urbis? 7. Cæterùm nomine *Romanorum* veniunt hîc illi, qui Romæ exiſtunt orti vel à parentibus Romanis, vel à parentibus, qui jam Romæ contraxerant Domicilium.

Nomine *Incolarum Urbis* intelliguntur ii, qui Romæ commorantur animô ibi manendi aut perpetuò, aut per majorem anni partem. Cæteri veniunt nomine *Peregrinorum*, *Exterorum*, vel *Advenarum*.

Quinam nomine Externorum? Quamobrem qui natus in Urbe, vel ab eâ oriundus habitat de præſenti procul ab Urbe, v. g. Pariſiis, Madriti, aut Viennæ, & Romam accedit gratiâ lucrandi Jubilæum, non tenetur Eccleſias viſitare triginta diebus, ſed ſatisfacit eas viſitando quindecies, ſicut Exteri. Deinde ratio, cur pauciores imponantur viſitationes externo (quæ eſt evitatio laboris, & impenſarum, poſt tot expenſas in viâ pecunias, ſuperataſque in eâ difficultates) perindè ſibi vendicat locum in eo, de quo loquimur, ac in penitùs extraneo. Unde ille non debet quoad *viſitationem Eccleſiarum* censêri Romanus.

Caſus circa viſitationem. 8. Habetne hîc locum parvitas materiæ, ita ut adhuc Jubilæum lucretur, qui unâ, alterâve vice omittit viſitare Eccleſias, non ſervans numerum viſitationum ſibi *Romano*, vel *Extraneo* reſpectivè præſcriptum?

Probabiliùs non videtur talis lucrari Jubilæum. Conditio enim debet ſtrictè ſervari ex cap. *Dilectus de præbendis*, numerus autem viſitationum cuilibet reſpectivè præfixus eſt ex conditionibus ad Iubilæum requiſitis, proinde & ille numerus ſtrictè ſervandus eſt, adeoque illô vel deficiente, vel non completô, non videtur talis lucrari Iubilæum.

9. Nec

9. Nec valet, quòd aliqui objiciunt, contrarium niti præſumptâ voluntate Pontificis, ejuſque benignitate, quia cum injungatur numerus determinatus, corruit omnis præſumptio in oppoſitum, non enim licet procedere à tacito, vel præſumpto ad expreſſum.

10. Sed nonne poſſent Eccleſiæ viſitari pluries eôdem die ad implendũ numerum viſitationum?

R. Negativè. Nam præſcribitur, ut per triginta *dies* viſitentur, non verò præſcribuntur triginta viſitationes.

Porrò hîc dies computatur à mediâ nocte antecedente uſque ad mediam noctem inſequentem *ex declaratione Innocentii XII. 6. Martii 1700.*

Bulla igitur, ut jacet, intelligenda eſt, niſi vel in alio loco Diplomatis ſe aliter explicet Pontifex, vel in eo ſe inſiſtere dicat veſtigiis Prædeceſſorum ſuorum, qui v. g. numerum viſitationum juxta varias circumſtantias minuerunt. Sic Modernus Pontifex ſe conformans plurium Prædeceſſorum exemplo circa viſitationem Eccleſiarum hæc habet in præfatâ Bullâ. *Et quoniam contingere poteſt, ut ex iis, qui hâc de causâ iter aggreſſi fuerint, vel ad Urbem ſe contulerint, aliqui in viâ, aut etiam in ipsâ Urbe ægritudine, vel aliâ legitimâ causâ impediti, aut morte præventi, præfinitô dierum numerô non completô, ac ne quidem fortaſsè incboatô, præmiſſa exequi, & dictas Baſilicas viſitare nequeant: nos piæ, promptæque illorum voluntati, quantum in Domino poſſumus, benignè favêre cupientes, eoſdem verè pœnitentes, & confeſſos prædictæ Indulgentiæ, & remiſſionis participes fieri perinde volumus, ac ſi dictas Baſilicas diebus à nobis præſcriptis reipsâ viſitaſſent.*

11. Hinc

11. Hinc reſolvuntur ſequentes caſus.

Qui poſt acceptum iter Romanum Jubilæi causâ, & poſt confecta aliquot milliaria revocantur domum ob improviſam mortem Uxoris, vel ob hoſtilem incurſum, aliamve cauſam ſimilem, quæ prudentem quemlibet ejuſdem conditionis virum domi retineret: item qui Romanô itinere jam inchoato, certiores redduntur, peſtem, aut prædones vehementer graſſari per loca, per quæ neceſſario iter habendum eſt: item, qui in viâ corripiuntur tali infirmitate, cum quâ poſſent quidem phyſicè Romam pervenire, ſed nonniſi cum maximâ difficultate, vel cum ſumptibus triplô, aut quadruplô majoribus, poſſunt Indulgentiam Iubilæi nanciſci, perinde, ac ſi omnia opera præſcripta perfeciſſent: dummodò tamen ſint verè pœnitentes, & confeſſi. De omnibus enim illis verificantur verba Diplomatis, ſcilicèt, quod ſint legitimè impediti, ac nequeant reipsâ viſitare Baſilicas, non [illegible]lem impedimentô, aut impotentiâ Phyſicis, [illegible] impedimentô, aut impotentiâ moralibus. impedimentu[illegible] morale verè, & propriè dicitur impedimentum, ac impotentia.

Quantùm ad *Advenas* pauperes non infirmos, numerum dierum viſitationi ab ipſis applicandorum Clemens X. remittit juxta circumſtantias indigentiæ eorum, diſcreto Pœnitentiariorum arbitrio.

12. Idem Clemens X. contentus eſt, ut Regulares vel Romæ morantes vel etiam extranei, ſi Communitati ſuæ Religioſæ Eccleſias viſitaturæ ſe adjunxerint, lucrentur Indulgentias, ſi ter Baſilicas illas viſitaverint.

Si verò vel non poſſent expectare commodita-

ditatem aliorum, vel advenirent, dum alii incrati ſunt Indulgentias, concedit Pontifex, ut illi quinquies viſitando Eccleſias, per quinque continuos, aut interpolatos dies, eaſdem conſequantur Indulgentias, ac ſi Eccleſias per quindecim continuos, aut interpolatos dies frequentaſſent.

13. Concedit etiam præfatus Pontifex Congregationibus, & Confraternitatibus, quæ aliundè hùc in formâ ſupplicationis, aut proceſſionis veniunt, ut *ſimul ſemel* viſitando Eccleſias fratres, & ſorores, & *bis* iidem fratres, ac ſorores *ſeparatim* ſatisfaciant præſcriptis in Bullâ viſitationibus, ac ſi eas quindecies viſitaſſent.

Demptis igitur illis perſonarum conditionibus, ſtandum eſt, quantùm ad numerum viſitationum, tenori diplomatis.

14. Cæterùm Eccleſiæ debent viſitari *devotè*, proindè cum voluntate promptè faciendi ea, quæ ad Dei famulatum, & cultum pertinent. *Devotio enim dicitur à devovendo. Unde devoti dicuntur, qui ſeipſos quodammodò Deo devovent, ut ei ſe totaliter ſubdant. Propter quod & olim apud Gentiles devoti dicebantur, qui ſeipſos Idolis devovebant in mortem, ſicut de duobus Deciis Titus Livius narrat.* D. Th. 2, 2. q. 82. art. 1. in corp. Cum autem *ad eandem virtutem pertineat facere aliquid, & promptam habere voluntatem ad illud faciendum, manifeſtum eſt, quòd operari ea, quæ pertinent ad divinum cultum, ſeu famulatum, pertineat propriè ad religionem. Unde devotio eſt actus religionis.* Art. 2. O. Hinc viſitatio Eccleſiarum debet ordinari in Dei cultum. *Viſitatio ſit devota, oportet.*

15. Ex his ſequitur primò, quòd ſi quis jocans, confabulans, aut diſcolè ſe gerens ad Eccleſiam *Caſus nonnulli.*

per-

pergeret, in ipſo tamen Eccleſiæ ingreſſu, & precibus ibi fuſis devotionem ſervaret, Indulgentiam non lucraretur, quia videlicet non exequitur opus injunctum, quod eſt de *devotâ*, & *religioſâ* Eccleſiarum viſitatione. Viſitatio autem apud omnes æquos & pios rerum ponderatores, non ſolum dicit in Eccleſiam ingreſſum, & preces ibi fundendas, ſed etiam ad illam acceſſum; qui proinde etiam devotè, & Religioſè fieri debet.

Hinc oppoſita ruit quorumdam ſententia, qui paſſim aſſerebant. *Devotio non requiritur in itinere, ſed in Eccleſiâ.*

16. Sequitur ſecundò, eum Indulgentiam non lucraturum, qui viſitaret v. g. Eccleſiam, præcisè ob curioſitatem: cum talis viſitatio non ordinetur ad Dei cultum.

17. Quare nec ille obtinebit Indulgentiam, qui principaliùs viſitat Eccleſiam ob curioſitatem, illam alioquin non viſitaturus. An enim in tali procedet quoque viſitatio ex devotione, & religione? Secùs dicendum eſt, ſi curioſitas concomitanter ſe haberet ad viſitationem.

18. Cæterùm peccatores in peccato mortali habituali exiſtentes poſſunt *devotè* viſitare Eccleſiam. Ex Tridentino enim Seſſ. *6.* cap. 7. anathematizatur ille, qui *dixerit omnia opera antè juſtificationem eſſe mala*: poſſunt ergo peccatores actus moraliter bonos exercêre, adeòque & actus Religionis, & ſic devotè Eccleſiam viſitare. Contrarium proſcriptum eſt in Queſnellianâ 58. *NEC DEUS EST, NEC RELIGIO, UBI NON EST CHARITAS*. Vide librum noſtrum *in propoſitiones damnatas*. pag. 259.

19. Peccatum tamen mortale actuale non com-

compatitur devotionem requiſitam : ut ſi quis viſitaret Eccleſiam animô inducendi perſonam quampiam ad peccatum : hæc enim voluntas, utpote avertens viſitantem ab ultimo fine, eſt incompoſſibilis cum voluntate faciendi ea, quæ ſpectant ad Dei cultum, & honorem; proinde refragatur devotioni; cum talis non ſe Deo, ſed Creaturæ impiè actualiter devoveat.

20. Qualis nunc oratio ad Iubilęum lucrandum requiritur, ſufficitne mentalis? *Qualis oratio ad lucrandum Jubilæum requiratur.*

Probabiliùs non videtur ſufficere mentalis, ſed requiri vocalis. Tum quia ſic habet praxis, quæ eſt optima legum interpres : tum quia Eccleſia viſibilis imponens orationem fundendam, imponit orationem ſenſibilem : oratio autem mentalis non eſt ſenſibilis, niſi per externam, ſeu vocalem, proinde videtur requiri vocalis.

21. At ſufficitne oratio quæcumque vocalis, etiamſi ſit notabiliter modica? puta unum *pater*, & *ave*?

R. Negativè. Debet enim ea eſſe congrua ad obtinendum finem à Pontifice intentum, cum medium debeant eſſe aptum, & proportionatum fini : minima autem oratio juxta prudentem æſtimationem non videtur apta ad finem Jubilæi : niſi ex peculiari aliquâ devotione procederet.

Sequitur de *jejunio*. *Jejunium.*

In Jubilæo *Anni Sancti* nullum jejunium exigitur, in Iubilæo tamen extraordinario univerſim exiguntur tria jejunia, feriâ quartâ, ſextâ, & Sabbathô, & quidem omnia eâdem hebdomadâ, & ritu jejunii Eccleſiaſtici implenda, & diebus præfixis.

22. Quæritur hîc primò, an poſſint jejunia commutari v.g. in tres eleëmoſynas, ſi Iubilæum ce- *An jejunium Ju-*

bilæi indi-ſti tempore Paſchali, adpoſſit commutari in eleëmoſynam? celebretur tempore Paſchali?

R. Negativè. Jejunium enim, tanquam exercitium virtutis voluntariè aſſumendum, admittitur à jure Canonico quôcumque die, & tempore ex cap. *poſt Paſcha*, & cap. *utinam* diſt. 76. Hinc Angelicus 2. 2. q. 147. a. 5. ad 3. *jejunium*, inquit, *ſecundùm ſe conſideratum omni tempore eſt laudabile*. Sed jejunium Jubilæi voluntariè aſſumitur à cupientibus illud lucrari: ergo illud poteſt pro Jubilęo lucrando, quôlibet die, & tempore præſcribi, etiam tempore Paſchali, quin propter hoc detur cauſa ſufficiens, ut illud in alia opera, puta eleëmoſynas à Confeſſario commutetur.

Tempore quidem *Paſchali* (cum ſit tempus lætitiæ) *non eſt jejunium inſtitutum ab Eccleſiâ*: ibid. Poſſet tamen Pontifex eô tempore ob cauſam rationabilem indicere Jubilæum, proindeque & requirere jejunium, quod conſequenter in alia opera commutari non poſſet: *Indulgentiæ* enim *tantùm valent, quantùm ſonant*. Sic Urbanus VIII. annô 1634. eô tempore Jubilæum indicens, impoſuit conſueta jejunia.

23. Petes, an adoleſcentes ante annum 21. teneantur ad jejunia Iubilæi, ſi velint illius eſſe participes?

Adoleſcentes antè annum 21. expletũ, ſi Jubilæum lucrari velint, tenentur ad jejunium. R. Affirmativè. Licèt enim non teneantur ante illud tempus elapſum ad jejunia Eccleſiæ, eò *quod ſint in ſtatu augmenti, quod eſt (ut in pluribus) uſque ad finem tertii triennii*, q. citatâ a. 4. ad 2. licèt non teneantur, inquam, ad jejunia Eccleſiæ, quæ aliàs ad jejunia obſtrictos etiam nolentes obligat, in jejunio tamen Jubilæi eſt diſpar ratio. Ad jejunia enim Jubilæi non obligantur, niſi volentes, qui volunt ſcilicet illud lucra-

cra-

crari, proinde ſi adoleſcentes etiam ante illud tempus, iſtud nanciſci velint, tenentur præfixa adimplêre jejunia.

Hinc qui ex titulô laboris à jejunio Eccleſiaſtico excuſarentur, non eximerentur tamen à jejunio Iubilæi, ſi illud lucrari velint. *Item Operarii.*

Id & Senibus, quamvis legitimè quidam ſupponantur à jejunio pariter Eccleſiaſtico exempti, ſi Jubilæum etiam adipiſci velint, applicandum eſt. *Et Senes aliàs à jejunio exēpti.*

24. Quantùm ad *eleëmoſynam*, iſta in Jubilæo Anni Sancti non injungitur, in Jubilæo extraordinario duarum hebdomadarum injungi ſolet.

Primò hîc quæri poteſt, an univerſim, & paſſim ſufficiat eleëmoſyna modiciſſima? *Eleëmoſyna.*

Videtur non ſufficere. Dum enim aliquid committitur arbitrio cujuſdam, id debet procedere juxta regulas prudentiæ, quæ nunquam dictabit, præſertim divitibus, quòd ad impetrandum finem Jubilæi modiciſſima ſtips erogetur; quod etiam praxis demonſtrat, cum opulentiores majorem ſoleant impertiri eleëmoſynam. Unde quantitas eleëmoſynæ pro impetrando Jubilæo debet proportionari qualitati, aut conditioni perſonarum dantium eleëmoſynam. *Caſus hîc emergentes.*

Sed tenenturne etiam pauperes ad eleëmoſynam?

R. Illos probabiliùs tenêri ad modiciſſimam; Nullus enim eſt tam pauper, quin poſſit unum, aliumve obolum dare in eum finem.

Quòd ſi quis tamen vel tantillum erogare non poſſet, talis impotentia foret per accidens, ſicut per accidens eſt, quòd ægrotus non poſſit jejunare ad lucrandum Jubilæum. Quare ſicut tunc ægroto commutanda ſunt jejunia, ut poſſit

eſſe particeps Jubilæi, ita & in tali caſu pauperi eſſet commutanda eleëmoſyna in aliud opus, puta in preces aliquot.

25. Religioſus tenetur ad eleëmoſynam per Superiores ſuos diſtribuendam. Quod etiam militat in Uxoribus, Filiis-familias, Servis, aliiſque ſub poteſtate conſtitutis.

In Cœnobiis ſolet eorum Moderator eô tempore copioſiorem panem, aliaque ſubminiſtrare egenis.

26. Porro eleëmoſyna debet diſtribui *infra tempus Jubilæi*. Unde ſi tunc non diſtribuatur, impeditur Jubilæi acquiſitio. Quia ſcilicet non impletur conditio de dandâ eo tempore eleëmoſynâ, ſic enim habet ordinariè Bulla. *Qui in unâ ex binis hebdomadibus confeſſus fuerit, communicaverit, jejunaverit feriis quartâ, ſextâ, & Sabbathô, eleëmoſynam egentibus largitus fuerit &c. Jubilæum lucrabitur*. Præfata autem debent fieri infra tempus præfixum, igitur & eleëmoſyna ſic diſtributa ſit, oportet.

27. Sed quid ad hunc caſum?

Petrus Comes obtinendi Jubilæi gratiâ mandat ſuo eleëmoſynario more Magnatum, ut largam ſtipem pauperibus communicet. Poſt tempus Jubilæi elapſum, fatô neſcio quô eleëmoſynarius in actuali crimine furti à Petro Comite deprebenditur. Interrogatus à Judice inter alia fatetur, duos aureos, quos Comes in Jubilæo aliquo ſibi conſignarat pauperibus tribuendos à ſe fuiſſe retentos, ita ut in manus pauperum non pervenerint. Quæritur, an Petrus reverà Jubilæum, præſtitis reliquis, ut ſuppono, operibus, fuerit lucratus? Ratio dubii eſt, quia non videtur ſtare conditio de dandâ eleëmoſynâ: ad ſubſtantiam enim illius ſpectat, ut

detur aliquid indigenti propter Deum; itaque ſi nihil detur indigenti, ſed ſolùm alicui tradatur ei erogandum, non videtur habêri ſubſtantia eleëmoſynæ.

Sed hoc nihil obſtat. Quamvis enim indigens illam per accidens non acceperit, fuit tamen committendo miniſtro, ut illa pauperi daretur, data indigenti, ita ut Dominus abjecerit à ſe dominium illius in pauperes, quantum eſt de ſe. Unde habetur ſubſtantia eleëmoſynæ, quantum eſt ex parte Comitis. Proinde coram Deo lucratus eſt Jubilæum. Cum tamen jam Comes factum nefarii eleëmoſynarii reſcierit, videtur tenêri eleëmoſynam culpâ Miniſtri pauperibus non datam, eis conferre, ut non ſolùm quantum eſt de ſe, ſed etiam à parte rei eleëmoſyna in eorum manus fundatur: quamvis, ſi nihil Comes ſciviſſet, coram Deo ad hoc non fuiſſet obligatus, Deo ſuſpendente Petri obligationem, quoadusque ille ſciviſſet. Sicut ſi idem Petrus per eundem Miniſtrum, quem exiſtimabat eſſe fidelem, & juſtum, alicui miſiſſet pecuniam ex juſtitiâ ei debitam, quam ille etiam retinuiſſet, coram Deo foret ſolutus ab obligatione mittendi iſtam pecuniam, quam tamen tenerêtur denuò mittere, ſi factum Miniſtri ei innotuiſſet. Hæc tamen obligatio, cum ſit juſtitiæ, paulò ſtrictior eſt alterâ in præſenti caſu.

28. Progredimur ad *Confeſſionem*.

Quæ hîc dicenda erant, præoccupata ſunt ſupra Quæſtione 2. numerô 7. & 8.

Reſtat hîc ſolummodò inquirendum, an quis vigore Jubilæi poſſit abſolvi à peccatis commiſſis in confidentiam, ſeu ſpem Jubilæi pro- *Confeſſio.*

ximè inſtantis, ſive ſit Jubilæum extraordinarium, ſive *Anni Sancti*?

R. Abſolvi poſſe. Ab omnibus enim peccatis, etiam reſervatis, debitâ, ut ſupponimus, diſpoſitione confeſſioni præfixâ, abſolvi poteſt: peccata autem ratione confidentiæ commiſſa, ob ipſam præcisè confidentiam ne quidem ſunt reſervata, adeòque & ab illis poterit abſolvi.

Objectio tacita. 29. Nec obeſt, quòd peccans ſpe veniæ, debeat ſubeſſe pœnæ, non obtinêre veniam, ut habetur in cap. *quando de conſecr.* diſt. 4. Nam ibi, ut obſervat gloſſa, ſenſus tantùm eſt, quòd multoties ſic peccantes puniantur à Deo, ita ut non perveniant ad tempus veniæ obtinendæ, non verò, quòd abſolvi non poſſint, ſuppoſitis diſpoſitionibus requiſitis, ſi nanciſcantur tempus confitendi.

26. Eſſet tamen commiſſio peccatorum *in confidentiam Jubilæi*, circumſtantia in confeſſione pandenda, quia ſuperaddit peccatum ab ipſis peccatis commiſſis diſtinctum, ſcilicet peccatum *præſumptionis de miſericordiâ Dei*.

27. Si verò talis haberet propoſitum perſeverandi in peccato, nullatenùs foret abſolvendus, utpote planè indiſpoſitus. *Requiritur ad remiſſionem*, ſeu abſolutionem *offenſæ, quòd voluntas hominis convertatur ad Dominum CUM PROPOSITO EMENDÆ.* D. Thomas 3. p. q. 86. art. 2. in corpore.

Communic. 30. Quoad *communionem*, quam in Jubilæo etiam *Anni Sancti* requiri, praxis fidelium evincit, poſt proſcriptam hanc ab Innocentio XI. propoſitionem 53. *Præcepto communionis annuæ ſa-*

ſatisfit per ſacrilegam (corporis) *Domini manducationem*, à paritate rationis infertur, à Pontifice exigi communionem dignam, & à Sacrilegio prorsùs abhorrentem.

31. Nec dicas (ut ajebant damnatæ aſſertionis patroni) ab Eccleſiâ non poſſe præcipi actus internos, adeòque Pontificem poſſe eſſe contentum communione externâ, licèt coram Deo vel in communione annuâ, vel in Jubilæo *Anni Sancti*, aut *extraordinario* ſacrilegâ: quamvis enim non poſſit præcipere Eccleſia, aut Pontifex actus *purè internos* (ut eſt communior Theologorum doctrina) poteſt tamen præcipere, & præcipit illos internos, qui per ſe cum exterioribus connnexi ſunt. Sic præceptum Eccleſiaſticum de horis canonicis recitandis non solùm ad attentionem, & devotionem exteriorem, ſed etiam ad interiorem obligat: Sic & præcepto de audiendâ Miſsâ non ſatisfacit is, qui indevotè, & ad alia voluntariè diſtractus illi intereſt: itaque nec præceptum communionis Paſchalis, nec communio injuncta ad obtinendum Jubilæum ſeu *Anni Sancti*, ſeu *extraordinarium*, impletur per indignam Domini ſumptionem externam, ſed per dignam, piam, religioſam, ex internâ animi diſpoſitione dimanantem. Atque hoc abundè conſtat tum ex verbis, quibus præceptum Eccleſiæ de *communione annuâ* expreſſum eſt, tum ex verbis Bullarum, quibus paſſim communio ad Jubilæum requiſita injungitur. *Omnis utriuſque ſexûs* (quoad communionem annuam) *ſuſcipiat* REVERENTER (cum præparatione ſcilicet interiori requiſitâ) *ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum*. In Bullis verò pro obtinendo Jubilæo, hæc paſſim habentur.

Qui verè contritus, & confeſſus communicaverit, Jubilæum lucrabitur. Probet ſeipſum homo per veram contritionem, & confeſſionem (proindeque expertem ſacrilegii) *& ſic de pane illo edat* 1. ad Corinth. 11. ac Indulgentiam lucretur.

32. Cum pueri, quia nondum annos diſcretionis attigerunt, à communione prohibeantur, non poſſunt per conſequens etiam in Jubilæo illam ſumere, fruſtra proinde hîc à quibuſdam aſſeritur, quòd iis communio commutanda ſit in aliquod opus pium, ut poſſint Jubilæum lucrari. Etenim pueri ob conditionem de communione, quam adimplêre nequeunt, non poſſunt eſſe Jubilæi participes.

33. Nec valet, communionem in Jubilæo requiſitam extendi ad pueros, non quidem, ut implendam, ſed ut commutandam, cum concedatur, inquiunt illi, Confeſſariis facultas commutandi opera injuncta ob rationabilem cauſam. Facultas enim commutandi opera injuncta, intelligenda eſt reſpectu illorum, qui habent impedimentum aliquod accidentale (ut v. g. infirmi, aut aliô caſu fortuitô impediti) non verò reſpectu perſonarum à jure impeditarum, quales ſunt pueri.

QUÆSTIO VIII.

De Perſonis impeditis, ut Sanctimonialibus. Incarceratis, Infirmis, quæ etiamnum poſſunt lucrari Jubilæum.

1. QUemadmodùm per Jubilæum extraordinarium *duarum hebdomadarum* in hâc Almâ Urbe primò, deinde ubique locorum indulgetur

getur Sanctimonialibus perpetuæ clauſuræ ad-ſtrictis, Regularibus, aut aliis in carcere detentis, infirmitate, aut aliâ de causâ impeditis, (ne injuncta ponant opera) ut ea Confeſſarius juxta prudens judicium commutare poſſit, ita dubium non eſt, quin hoc etiam eiſdem perſonis Romæ tempore Jubilæi *Anni Sancti* exiſtentibus quoad commutationem operum pro eo præſcriptorum concedatur. Ita tot Sæculorum praxis confirmat.

Præterea in Bullâ Jubilæi *Anni Sancti*, ut vidimus quæſt. 7. num. 9. conceditur iis, qui iter ad Jubilæum lucrandum aggreſſi ſunt, ut ſi in viâ, aut etiam in ipsâ Urbe morbô, aut aliâ legitimâ causâ præpediti Baſilicas viſitare non poſſint, Jubilæum lucrentur, dummodò, ſi alia quoque opera ipſorum ſtatui proportionata implêre non poſſent, ſint verè pœnitentes, & confeſſi.

2. Reſtat quæſtio circa *Sanctimoniales*, cæteraſque perſonas præcitatas, quæ clauſuræ, carceris, & infirmitatis ceſſantibus impedimentis, ad Urbem promptô animô venirent, reſtat, inquam, quæſtio, an illæ in talibus circumſtantiis non poſſint quoque Jubilæum Anni Sancti plenariè conſequi, dummodò pia Chriſtianæ pietatis opera præſtent ab Ordinariis locorum, ſeu Sanctimonialium, aliorumque Superioribus, vel de eorum mandato à prudente Confeſſario præſcribenda?

Priùs tantiſper obſervandum eſt, poſt Annum Sanctum terminatum, etiam ſolêre Jubilæum omnibus Fidelibus totô Orbe diſperſis, ne quis fructu illo privetur, communicari: unde & à Sanctimonialibus, aliiſque in quâlibet reſpectivè Diœceſi, dum promulgabitur, obti-

nêri poteſt. Quod ſi tunc lucrentur illud, Jubilæum tunc temporis lucrari denuò non poterunt; cum non niſi ſemel iſtud nanciſci valeamus.

Quæſtio igitur eſt, an præfatæ perſonæ, ſi tali æſtuent viſitandarum quatuor Baſilicarum deſiderio, ut penes illas non ſtet, quominùs eò tendant, Jubilæum Anni Sancti valeant adipiſci?

Sit Concluſio.

Solent concedi decurſû Anni Sancti, Indulgentiæ Anni Jubilæi Sanctimonialibus, Anachoretis, Eremitis, in carcere Detentis, & Infirmis Romam in præfixis circumſtantiis adire volentibus.

Tales conceſſerunt Urbanus VIII. 28. Januarii 1625. Innocentius X. 12. Februarii 1650. Clemens X. 6. Febr. 1675. & noviſſimè Innocentius XII. 19. Januarii 1700. in ſequenti Bullâ. „ Pontificia ſollicitudo quamvis omnium Chriſti „ fidelium ſaluti proſpiciat, præcipuè tamen ſpi„ritualium Sanctimonialium profectibus paternæ „ charitatis affectû ſtudet providêre. Ipſæ enim „ ſunt filiæ, quæ oblitæ populum ſuum, & domum „ Patris ſui animi ſplendore Cæleſtem Regem „ oblectant: ipſæ ſunt prudentes Virgines, quæ „ lampades ſuas charitatis flammâ ſuccenſas pro„vidè aptantes, meliorem partem elegerunt, am„plectentes illam vitæ rationem, quæ eas Angelis „ quodammodo æquat. Quoniam autem conſimi„le vitæ genus plurimi Anachoretæ, atque Ere„mitæ, ut ſupernarum rerum contemplationi ſe„curiùs vacent, laudabiliter elegerunt, ſpiritua„libus quoque ipſorum incrementis paternis vi„ſceribus maximè ducimus conſulendum. Cum „ igitur tam ipſi, quàm præfatæ Sanctimoniales „ perpetuę vivant clauſurę mancipati: Nec non „ multi, ut accepimus, utriuſque ſexûs fideles par-

partim carceribus detenti, partim verò diutur- „
nâ infirmitate præpediti, non ſolùm in Italiâ, „
ſed in aliis etiam Regionibus, Provinciis, & lo- „
cis reperiantur, qui, & quæ hujuſmodi reſpe- „
ctivè impedimentis remotis, pro percipiendis „
præſentis anni Jubilæi fructibus ad Urbem præ- „
dictam omninò venirent, & Baſilicas ad id de- „
putatas benedicente Domino, indubitanter vi- „
ſitarent, verùm ob præfata impedimenta ad „
Urbem minimè venire, neque reſpectivè Baſi- „
licas viſitare valent: Nos pro Paſtoralis noſtri „
officii debito, paternâque charitate illorum „
omnium animarum ſaluti, quantùm cum Domi- „
no poſſumus, proſpicere volentes, omnibus, & „
ſingulis Sanctimonialibus quorumcumque Mo- „
naſteriorum, etiam illorum, quæ ab ordinaria „
juriſdictione exempta, & Sedi Apoſtolicæ præ- „
fatæ immediatè ſubjecta ſunt, vel eſſe aſſerun- „
tur, & Anachoretis, atque Eremitis hujuſmo- „
di, ac utriuſque ſexûs Chriſti fidelibus, qui im- „
pedimentis longæ carcerationis, ac diuturnæ „
infirmitatis ceſſantibus, ad eandem Urbem pro „
theſauris hujuſmodi ſpiritualibus conſequendis „
venturi fuiſſent, verè pœnitentibus, & confeſſis, „
quòd in locis, ubi eos eſſe contigerit, pia Chri- „
ſtianæ pietatis, & charitatis opera juxta nor- „
mam ab Ordinariis locorum, ſeu Sanctimonia- „
lium, & Anachoretarum, Eremitarumque „
hujuſmodi Superioribus, vel de eorum manda- „
to à prudente Confeſſario, præſcribendam pro „
cujuslibet ſtatu, & conditione, ac loci, & tem- „
poris ratione habitâ exercendo, & alia in no- „
ſtris literis indictionis Anni Jubilæi contenta „
adimplendo, omnes, & ſingulas Indulgentias, „
& peccatorum remiſſiones, etiam pleniſſimas, „

con-

„ conſequantur, quas conſequerentur, ſi in hoc
„ præſenti Anno Jubilæi diebus ad id Statutis qua-
„ tuor ad id deputatas Baſilicas, pro quibus viſi-
„ tandis Jubilæum, & Indulgentiæ præfatæ con-
„ ceſſæ ſunt, perſonaliter viſitarent, eiſdem San-
„ ctimonialibus, Anachoretis, atque Eremitis &
„ Chriſti fidelibus impeditis hujuſmodi authorita-
„ te Apoſtolicâ tenore præſentium concedimus,
„ & indulgemus.

Expendamus modò haſce quatuor conditiones Perſonarum.

Quænam contineantur ſub nomine Sanctimonialium.

4. Nomine *Sanctimonialium*, veniunt etiam Mulieres, quæ non emittunt tria Religioſa vota, dummodò collegialiter vivant de licentiâ Epiſcopi intra aliquod Monaſterium cum obligatione ſervandi perpetuam clauſuram. Id quod ſatis frequens eſt in Italiâ. Inſtitutum illud Mulierum, quæ aliàs vocantur *Oblatæ*, à Sede Apoſtolicâ approbatum eſt.

Nomine *Sanctimonialium* veniunt & Novitiæ: cum univerſim privilegia, quæ conceduntur Religioſis, extendantur ad Novitios.

Veniunt & aliæ Mulieres, & Puellæ Educationis, vel aliâ ex causâ in Monaſteriis degentes, quæ ibi leges Clauſuræ obſervant.

Id multis in locis obtinet in Italiâ, in aliis Europæ partibus hoc vix locum ſibi vendicat, cum tales, quæ illîc morantur, clauſuram non ſervent.

Sed gaudentne etiam hôc privilegiô Moniales Quæſtuariæ, quæ pluribus in locis Civitatem circumeunt ad petendas eleëmoſynas, adeòque non ſervant clauſuram, quamvis reliquum Monaſterii corpus clauſuram ſervet?

R. Affirmativè, Quia cum ipſæ, licèt quæ-

ſtua-

ſtuariæ, ſint incorporatæ toti Monialium communitati, potiri debent privilegiô communitati conceſsô.

Quantùm ad *Oblatas, Mulieres,* & Puellas ſæculares præfatis de cauſis in Monaſteriis degentes, ſic Innocentius XII. in præcitatâ Bullâ. *Cum Sanctimoniales iſtæ perpetuæ vivant clauſuræ mancipatæ, & multæ Puellæ, & Mulieres ſæculares educationis, vel aliâ ex cauſâ de licentia Sedis Apoſtolicæ in Monaſteriis degant, ibique clauſuræ leges obſervent, multæque etiam reperiantur Oblatæ, quarum inſtitutum à Sede Apoſtolica approbatum exiſtit, & quæ in domibus, ſeu Conſervatoriis in communi vivunt:* (in dictis circumſtantiis) *has Jubilæi Indulgentias authoritate Apoſtolicâ tenore præſentium concedimus.*

5. Nomine *Anachoretarum*, & *Eremitarum* veniunt non illi, qui paſſim vocantur Eremitæ, qui utinam omnes priſcam Patrum virtutem, quales inter effulsêre *Pauli*, *Antonii*, *Hilariones*, æmularentur, quique modò, etiamſi nonnulli communiter vivant, ab hominum ſocietate non ſunt remoti, illos pro eleëmoſynis convenientes; ſed illi veniunt qui è clauſtro non exeunt, ut vacent contemplationi, atque ita ſolitariam planè vitam ducunt.

Tales ſunt in primis *Carthuſiani*, ſive in Cœnobiis intra Civitates degant, ſive extra. Ratio eſt, & quia ſeorſim in Cellulis vivunt, ut contemplationi ſe devoveant, rarò inter eos diſpenſatô ſilentiô, ac tantùm veluti in medicinale quoddam temperamentum ad ſuſtinendum tale vitæ genus, & quia ad inſtar Monialium Cœnobii ſeptis paſſim circumſcribuntur.

Quinam ſub nomine Anachoretarum, & Eremitarum.

His accedunt nonnulla Monaſteria Ciſter-

cien-

cienſium, ut caſtigatiſſima Abbatia *de la Trappe* in Galliis, & quædam aliæ iſtius normam quoad perpetuam clauſuram, & omnem ab hominum conſortio remotionem imitatæ.

Iſtis adjungi queunt quidam alii Ordines Religioſi, clauſuram quidem, quamvis non tam arctam, ut Moniales, profeſſi. Tales dicuntur eſſe Camaldulenſes.

Quinam ſub nomine Incarceratorum.

6. Nomine *Incarceratorum* univerſim veniunt, quicumque ita detinentur, ut ob culpam, vel cauſam præſumptam, v. g. belli ſui juris non ſint, ut poſſint pergere, quò eis libuerit.

Hinc ii, quibus eſt Civitas pro carcere, dicuntur in re noſtrâ carceribus detenti. Item relaxati ſub fidejuſſione, quia tenentur ad comparendum, ſtatim ac à Iudice vocati fuerint. A fortiori incarceratis annumerantur damnati ad triremes.

Milites tamen, qui non habent facultatem relinquendi arcem, aut ſigna, non veniunt illorum nomine, quia illa detentio eſt ipſis voluntaria in cauſâ; voluntariè enim ſuſceperunt militiam; unde impropriè ſanè dicerentur carceribus detenti.

Idem dicendum de Religioſis, qui licèt in Cœnobiis detineantur, nec poſſint ſinè Superiorum licentiâ indè exire, voluntariè tamen hoc vitæ genus amplexi ſunt. Unde nequeunt inter incarceratos recenſêri.

Sed foretne Aulicus inter eos habendus, qui ſe continêret in aliquo loco, ut morem gereret ſuo Principi, alioquin incurſurus ejus indignationem?

R. Affirmativè. Quia illìc contra propriam voluntatem detinêretur, poſſet proinde hôc privile-

vilegiô incarceratorum frui.

7. Nomine infirmorum veniunt hîc, qui ſinè notabili valetudinis detrimentô nequeunt ad Urbem tendere, aut Eccleſias viſitare. Quare etiam Valetudinarii nomine infirmorum comprehenduntur. *Quinam ſub nomine Infirmorũ.*

Porrò infirmitas in Bullâ requiſita debet eſſe diuturna, ea ſcilicet, quæ ſit per majorem anni partem duratura, aut quæ ſaltem diu duratura præſumatur.

8. Attamen *Senes* ſub eis non continentur, quamvis hoc ita quibuſdam videatur, in eo ſe fundantibus, *quòd ſenectus ipſa morbus ſit*: illud enim eluderet verba Diplomatis, quæ de infirmis phyſicè talibus, & quidem diuturnâ infirmitate laborantibus intelliguntur. En ipſa verba Bullæ, *diuturna infirmitate præpediti*. Senectus verò tantùm dicitur morbus moraliter loquendo, tum quòd in ſenibus ſenſim calor naturalis minuatur, tum quòd non poſſit cum tanto, quantô Iuvenis vigore morbo, ſi eum invadat, ſenex reſiſtere. *Senes non veniũt ſub illorum nomine.*

Sub nomine igitur infirmorum comprehenduntur infirmi, phyſicè tales, & quidem diuturnâ infirmitate afflicti.

Unde hos inter computandi ſunt, lecto affixi, podagrici: item leproſi, cæci, claudi, morbo caduco, ſi frequenter recurrat, obnoxii, Phtyſici, Paralytici, aut aliô gravi malô preſſi.

9. Ex dictis ſequitur, etiam Religioſos ſi ſint infirmi, poſſe hoc privilegiô frui, cum non ſint pejoris conditionis, quàm alii. *Religioſi non ſunt minùs adjuvabiles meritis aliorum, quam ſæculares*. D. Th. in ſuppl. quæſt. 27. art. 2. in corp.

10. Sed an æquè merentur Jubilæum *Anni San-*

Sancti, aut Infirmi, aut aliàs impediti, ſi per ipſos non ſtet, quominùs ad Urbem accedant, præſtando tamen opera ſibi in tali caſu, ut præſupponitur, injuncta, ac illi, qui realiter ad Urbem accedunt, & Baſilicas ad Jubilæum deſtinatas juxta numerum requiſitum viſitant?

An æquè mereantur illi, de quibus agitur, ac illi, qui ad Urbem accedunt?

R. Affirmativè. Quia dantur in illis opera juxta verba Diplomatis ad lucrandum Jubilæum *Anni Sancti* reſpectivè requiſita, unde & in illis militat famoſum illud. *Indulgentiæ tantùm valent, quantùm ſonant, ſeu prædicantur.* Sonant verò tales impeditos illud lucrari poſſe, ſi præſtent opera ſibi injuncta. Proinde æquè illud merentur, ac alii.

Accedit, quòd & plura eſſent præſtituri, ſi per illos licêret.

11. At mererenturne illi impediti æquè, ac alii, qui ad Urbem accedunt, tamque frequentes, ac laborioſas Baſilicarum viſitationes ad obtinendum Jubilæum adimplent, ſi eis Pontifex acquiſitionem Jubilæi non concederet, haberent tamen voluntatem exequendi opera, quæ ſibi pro Jubilæo adipiſcendo injungerentur?

R. Quòd coram Deo æquè mererentur quoad præmium vitæ æternæ voluntate bonorum operum, quæ ſibi pro Iubilæo obtinendo injungerentur, exequendorum, utpote exiſtentes, ut ſupponitur, in gratiâ, æquè, inquam, mererentur *ex opere*, ut loquuntur, *operantis*, ac illi, qui ad Urbem accedunt, non tamen æquè mererentur ex *opere operato*.

Prima pars conſtat ex eo, quòd actus exterior, cum non gaudeat libertate intrinſecâ, ſed extrinſecâ tantùm, deſumptâ ab actu voluntatis imperante, nihil addat bonitatis formalis

actui

actui interiori efficaci in ordine ad præmium eſſentiale. Hîc autem eſt actus internus efficax, ita ut ſequeretur ipſum opus, ipſum iter tot difficultatibus obnoxium cum viſitationibus præfatis, niſi obſtarent vincula impedimenti. Id etiam colligitur ex nonnullis Sacræ Scripturæ locis. Nam Deus Geneſ. 22. dixit Abrahæ non mactanti filium ſuum, ſed mactare parato. *Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi*: Et Lucæ 21. Chriſtus duo pauperis Viduæ minuta in gazophylacium miſſa tanti fecit, quanti magnas divitum eleēmoſynas, imo ea iſtis prætulit, puri cordis, ex quo bina minuta promebat Vidua, affectum librans.

Probatur modò ſecunda pars, ſcilicet quòd non æquè mererentur ac alii, qui ad Urbem accedunt, ex *opere*, ut ajunt, *operato*.

Meritum enim ex *opere operato* annexum eſt ipſis tantùm operibus præſtitis, non voluntati illa præſtandi. Ratio eſt, quia quæ operantur ex opere operato, operantur ex vi, & virtute inſtituentis, ſeu inſtitutoris. Inſtitutor autem Chriſtus non dedit valorem operis operati, voluntati recipiendi rem à ſe inſtitutam, ſed tantùm rei actualiter ſusceptæ. Unde in Sacramentis à ſe inſtitutis, meliùs v. g. & utilius eſt recipere actu Euchariſtiam, quàm ſolùm habêre voluntatem, eam recipiendi, ſeu quàm ſolùm, ut loquuntur, communicare ſpiritualiter. Sic igitur & in Sacramento Pœnitentiæ, adeòque etiam in Indulgentiis fundatis, ut vidimus quæſtione 1. in poteſtate *ſolvendi*, virtutem, ſive valorem Indulgentiarum *ex opere operato* alligavit cuilibet eas lucraturo per opera à ſuo Vica-

rio

rio Pontifice Maximo injuncta, non voluntati eas lucrandi. Quare non æquè mererentur præfati impediti, quibus licèt habentibus voluntatem exequendi dicta opera, Pontifex conſecutionem Iubilęi non concederet, ac illi qui ad Urbem accedunt.

Unde acquiſitio Iubilæi pendet & à voluntate concedentis, & ab operibus injunctis.

Interdum ille exigit opera ingentia, ut præter iter longum, & arduum ad Urbem, tot vicibus iteratas viſitationes Baſilicarum longô à ſe intervallô diſtantium, interdum opera juxta arbitrium Confeſſariorum, ut in caſu iſto *impeditorum*; prout Pontifex id expedire judicaverit. Sive autem parva, ſive magna exigantur, æquè merebitur Iubilæum, qui parva, quàm qui magna adimpleverit; dummodò adimpleat illa, quæ ſibi *reſpectivè* præſcribuntur.

11. Cæterùm hic obſervandum eſt in præfatâ Bullâ *Pontificia ſollicitudo*, Innocentium XII. declaraſſe; quibus Confeſſariis hujuſmodi perſonæ impeditæ, tempore Iubilæi Anni Sancti poſſint confiteri. En verba Bullæ.

Eiſdem Sanctimonialibus, nec non Anachoretis, atque Eremitis, & Chriſti fidelibus impeditis bujuſmodi, ut ad effectum præſentium Confeſſarios, Presbyteros Sæculares, vel cujuſvis Ordinis Regulares, ab eiſdem Ordinariis locorum ad id probatos, qui Confeſſionibus eorum diligenter auditis, eos, & eorum quemlibet à quibuſvis peccatis, criminibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœna Domini contentis, injunctâ eis pœnitentiâ ſalutari, eligere valeant, authoritate Apoſtolicâ tenore præſentium concedimus,

mus, & indulgemus Idem ſanxerant Urbanus VIII. 1625. Innocentius X. 1650. Clemens X. 1675.

12. Harum occaſione declarationum oritur quæſtio, an alii quoque tum Regulares, vel qui in Urbe morantur, vel ad illam accedunt Iubilæum *Anni Sancti* conſecuturi, tum Moniales in Urbe degentes non poſſint eligere Confeſſarium quemcumque extra Religionem ſuam tempore ejuſdem Iubilæi ab Ordinario loci approbatum?

Quantùm ad Jubilęum extraordinarium *duarum hebdomadarum*, reſponſio eſt affirmativa ob praxim, quæ eſt optima legum interpres, & conformis eſt Bullis Summorum Pontificum hâc de re emanatis, ac noviſſimè Bullæ BENEDICTI XIII., dum illud pro felici Eccleſiæ moderamine nuper Orbi Catholico impertiretur.

In Iubilęo verò *Anni Sancti* juxta ſępiùs memoratam expreſſionem Clementis X. datur Romæ facultas Pœnitentiariis, & Parochis, & quibuſcumque Confeſſariis, etiam Regularibus à Viceſgerente approbatis abſolvendi fideles ab omnibus reſervatis etiam in Cœnâ Domini, ac commutandi vota, exceptis Caſtitatis, & Religionis; nullâ habitâ mentione, an poſſint quoque Religioſi, & Moniales eligere quoſcumque Confeſſarios ab Ordinario loci approbatos, qui eos à quibuſcumque reſervatis abſolvant, & vota, demptis exceptis, commutent.

13. Sit Concluſio.

Probabiliùs in Jubilæo Anni Sancti videntur Religioſi, & Moniales eligere poſſe quoſcumque Confeſſarios ab Ordinario loci approbatos, qui eos à quibuſcumque reſervatis abſolvant, & vota demptis exceptis, commutent. *De Confeſſario eligendo tempore Anni Sancti.*

Probatur primò. Quia Innocentius XII. in

præfatâ Bullâ annô 1700. qui fuit ultimi Jubilæi, hanc facultatem omnibus iſtis Sanctimonialibus, & Religioſis viris impeditis conceſſit, ergo pariter videtur eandem aliis viris Religioſis, & Monialibus tempore ejuſdem Jubilæi in Urbe conceſſiſſe: cumque Innocentius XII. Prædeceſſorum fuerit veſtigia ſecutus, videtur ea communis eſſe Pontificum praxis, adeòque tenenda.

Probatur ſecundò. Quia quamvis Regulares non poſſint vi Bullæ Cruciatæ eligere Confeſſarium, poſſunt tamen vi Jubilæi: etenim privilegium Cruciatæ eſt permanens, & ideò Religionibus obeſſet, privilegium verò Jubilæi eſt tranſiens, favens omnibus, nulli nocens; ideòque crebrò Pontifices declararunt, vi Bullæ Cruciatæ ſe noluiſſe revocare privilegia Religioſorum, de non eligendo Confeſſario extra Ordinem, ſecùs verò vi Bullæ Jubilæi.

Tacita objectio. 14. Quòd ſi ſubindè quædam Bullæ videantur eſſe in ſpeciem contrariæ dicentes, quòd in *Jubileis* non poſſint Regulares aliis extra Religionem confiteri, illæ explicandæ ſunt, quòd procedant in caſu alicujus Jubilæi particularis, quod ratione alicujus feſti ſpecialis concedatur, non verò de Jubilæo Univerſali. Quia cum tale privilegium opponatur favori & utilitati animarum, debet reſtringi tamquam odioſum, ita ut illi utilitati non præjudicet. Hinc D. Thomas in Suppl. quæſt. 8. art 4. ad 6. *Sacerdos*, ſeu Prælatus Superior, debet *eſſe facilis ad præbendam licentiam alteri confitendi; quia multi*, & multę, *ſunt adeò infirmæ, quòd potiùs ſinè confeſſione* præ pudore *morerentur, quàm tali Sacerdoti*, vel etiam Sacerdoti ſui Ordinis *confiterentur*. Unde in caſu quodam extraordinario non ſit difficilis: niſi fortè

tè aliæ rationes obſtent in contrarium.

Quare ſi praxis in Urbe tempore Iubilæi *Anni Sancti* ſit contraria, illa tenenda eſt.

15. Porro Confeſſarius, cui aliquis tempore Iubilæi confitetur, debet eſſe Confeſſarius loci, id eſt ab Ordinario Loci approbatus. Sic enim & ſonant verba Bullarum, & ita communiter etiam extra Iubilæi tempora, reſpectu pœnitentis praxis obtinet. *Caſus aliqui.*

Hinc non ſufficit approbatio facta ab Ordinario pœnitentis; non enim approbatus ab Ordinario illius, habet juriſdictionem in ipſum, in quocumque loco, & contrarium reſuſcitaret opinionem illam famoſam reprobatam. *Confeſſarius approbatus in unâ Diœceſi, cenſetur approbatus pro omni.*

Hoc autem intelligitur de Regularibus. Sic enim Clemens X. in Bullâ editâ 1670. 11. Calend. Iulii, quæ incipit *Superna. Regulares ab Epiſcopo ad confeſſiones Sæcularium in ſuâ Diœceſi audiendas approbati non poſſunt in aliâ Diœceſi eas abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione audire, quamvis pœnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, à quo ipſi Religioſi jam fuerunt approbati.*

Unde Parochus v.g. Florentinus poſſet excipere confeſſionem ſui ſubditi Romæ per accidens tempore Iubilæi exiſtentis, vel qui cum illo in ſupplicatione (ut illæ eô tempore frequentes ſunt) Romam ſe contulit. Ratio eſt. Quia Iudex ordinarius juriſdictionem, quæ ſinè ſtrepitu externo exercetur, poteſt in ſuum Subditum exercêre extra proprium territorium, talis autem eſt juriſdictio fori interni.

Non poſſet tamen præfatus Parochus Florentinum aliquem, qui jam Romæ domicilium,

vel Sedem fixiſſet, Sacramentaliter audire, etiam tempore Iubilæi, quia tunc desjiſſet eſſe ſuus ſubditus.

16 Ex dictis ſequitur, Petrum Regularem Confeſſarium in Diœceſi Viennenſi, ſi per accidens Romæ, quò profectus eſt ratione Iubilæi, inveniat Paulum item Viennenſem ob eandem cauſam Romæ exiſtentem, non poſſe ejus confeſſionem excipere, niſi Romæ ad audiendas confeſſiones admittatur.

Poſſet tamen ille Regularis de licentiâ ſuorum Superiorum audire confeſſiones Regularium ſui Ordinis, etiam illorum, qui causâ Iubilæi, vel aliâ de causâ eò confluxiſſent, ad hoc enim non requiritur approbatio Ordinarii: cum Concilium Tridentinum, quod in Regularibus approbationem Ordinarii quoad confeſſiones ſæcularium requirit, nihil innovaverit circa confeſſiones Regularium. Unde non eſt neceſſaria approbatio Ordinarii in ordine ad horum confeſſiones excipiendas.

QUÆSTIO IX.

De poteſtate Confeſſarii in ordine ad Cenſuras, durante Jubilæo.

ANte reſolutiones, quædam hîc circa *Cenſuras*, & *Irregularitates*, de quibus etiam harum occaſione agendum erit, obſervanda ſunt.

Etymologia cenſuræ. 1. Notandum eſt primò, quòd etymologia hujus nominis *Cenſura* derivetur à verbo *cenſeo*, aut à nomine *cenſor*; erat enim apud priſcos Romanos ſpecialis dignitas Cenſoris: cujus officium erat inquirere, ac censêre, ſeu judicare de fortunis, vitâ, & moribus civium, ac indignos

gnos

gnos officiis, & dignitatibus privare. Indè hæc vox translata eſt ad ſignificandam juſtam ſeveritatem, correctionem, & actum poteſtatis Eccleſiaſticæ coërcitivæ, ſeu punitivæ, imo & ipſam pœnam, nam hæc vocatur *Cenſura*.

2. Definitur autem Cenſura, quòd *ſit pœna Eccleſiaſtica medicinalis, ac temporalis; quâ Judex Eccleſiaſticus hominem baptizatum inobedientem punit, privando eum bonis Eccleſiæ communibus*. Quamobrem Cenſura in jure vocatur nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſicut enim vires hominis conſiſtunt in nervis, ita vires Eccleſiæ in Cenſuris. *Definitio.*

Explicatur definitio. Dicitur pœna *medicinalis*. Quia cenſura eſt inſtituta ad peccatoris emendationem. Dicitur *temporalis*, quia poſtquam peccator ſatisfecit, cenſura debet tolli. Dicitur *baptizatum*, quia pœna non poteſt infligi, niſi ſubdito, ſubditur autem homo Eccleſiæ per baptiſmum. Dicitur tandem *bonis Eccleſiæ communibus*, nimirum uſu Sacramentorum, participatione ſuffragiorum fidelium, functione officiorum Eccleſiaſticorum &c.

3. Tres ſunt ſpecies Cenſuræ, ſcilicet Excommunicatio, Suſpenſio, & Interdictum. *Species cenſuræ.*

Porro Excommunicatio, quæ eſt gravior inter Cenſuras, alia eſt juris, aut canonis, alia lata ab homine.

Rurſus Excommunicatio juris alia eſt non reſervata, alia reſervata: ſi non reſervata, quilibet Confeſſarius ab eâ poteſt abſolvere. Si reſervata, non poteſt Hinc Confeſſarius ſcire debet caſus potiſſimùm Papæ reſervatos. Item ab excommunicatione *latâ ab homine* abſolvere po-

teſt, qui eam tulit, aut illius Superior, aut Succeſſor in officio, aut delegatus.

Ad præſens igitur quod ſpectat, in Jubilæis concedi ſolet facultas abſolvendi à Cenſuris, Excommunicationibus omnibus, etiam in Bullâ Cœnæ contentis, in foro conſcientiæ tantùm, à cunctis Suſpenſionibus, & Interdictis; verbò ab omnibus Cenſuris etiam à quocumque homine latis, ſub conditionibus ſtatim enucleandis.

4. Notandum eſt ſecundò, excommunicatos alios eſſe toleratos, alios non toleratos, qui non ſunt niſi duo (poſt Concilium Conſtantienſe) nimirum notorius Clerici percuſſor, & ille, qui ſpecialiter, nominatim, & expreſsè fuit excommunicatus, & ut talis eſt declaratus, aut publicè denuntiatus.

Dum ergo datur facultas abſolvendi à cenſuris tempore Jubilæi, diligenter expendenda ſunt hæc verba ſequentia Bullis paſſim apponi ſolita. *Abſolutio à cenſuris ſuffragari non poteſt excommunicatis declaratis, aut publicè denuntiatis, niſi intra tempus Jubilæi ſatisfecerint, aut cum partibus concordaverint.*

Per *partes*, intelligitur, non judex, ſed perſona offenſa. Per *ſatisfactionem*, intelligitur reſtitutio vel honoris, vel bonorum temporalium ablatorum: ita ut ſenſus Bullarum ſit, nullum tempore Jubilæi poſſe abſolvi ab excommunicatione, v. g. quam quis publicè, ſeu nominatim, vel ob honorem, vel bona quædam ablata incurrerit, niſi aut cum perſonâ offenſâ convenerit, aut ei honorem, bonave temporalia ablata reſtituerit. Non adimpletâ enim

con-

conditione ad abſolvendum, à Pontifice requiſitâ, nulla eſt abſolutio. Id in aliis quoque caſibus obvium eſſe poteſt.

5. Notandum eſt tertiò; non eſſe idem cenſuram, & irregularitatem.

Sic enim definitur Irregularitas: *Impedimentum Canonicum directè impediens à ſuſceptione Ordinum, & uſu ſuſceptorum*. Dicitur *impedimentum*, ex quo patet, quòd non ſit propriè cenſura, cùm non ſit propriè pœna, ſed inhabilitas quædam moralis, & poteſt eſſe ſinè peccato, ut patet in judice juſtè aliquem condemnante ad mortem, aliiſque ad mortem viâ juſtitiæ concurrentibus. Dicitur *canonicum*, id eſt, jure canonico introductum, cum nulla detur irregularitas, quæ in ſacris Canonibus non ſit expreſſa. Cæteræ particulæ volunt, quòd irregularitas Ordinum ſuſceptionem præcedens, reddat quempiam inhabilem ad illos ſuſcipiendos, & ſub hâc ratione cadit etiam in Laicos; ſubſequens verò reddit conſtitutum in Ordinibus, ineptum, ut eos exequatur.

Irregularitas.

Definitio.

Differt ulteriùs irregularitas à prefatis cenſuris, quòd hæ ferantur tum à jure, tum ab homine, illa verò à ſolo jure.

6. Cæterùm famoſior eſt diviſio Irregularitatis in illam, quæ eſt *ex delicto*, & eam, quæ eſt *ex defectu*.

Irregularitas ex delicto (quod debet eſſe mortale) contrahitur 1. ex infamiâ à ſacris Canonibus certis criminibus Notoriis, v. g. Apoſtaſiæ, Simoniæ, Sodomiæ, Perjurio in judicio, & Hæreſi impoſitâ. 2. Ex iteratione Baptiſmi ſeriò, & ſcienter, vel ex ignorantiâ culpabili factâ, ac ſuſceptâ, comprehenditque

Irregularitas ex delicto.

rebaptizantem, & rebaptizatum. 3. Naſcitur irregularitas ex violatione cenſuræ, v.g. excommunicationis, aut ſuſpenſionis, ut ſi Clericus in eâ actum aliquem Ordinis exerceat. 4. Oritur ob peccatum, quô Clericus ſeriò, & ſcienter exercet actum ordinis ſacri, quem non habet, ut ſi Diaconus conſecret Euchariſtiam. 5. Dimanat irregularitas ex homicidio voluntario injuſto, item ex mutilatione tali. Occidens autem ille, vel mutilans debet 1. eſſe *baptizatus*, quia ante baptiſmum homo non eſt capax irregularitatis propriè dictæ, hæc enim eſt ab Eccleſiâ, cui homo ante baptiſmum non eſt ſubjectus. 2. Debet eſſe *uſu rationis præditus*, peccatum enim, præſertim mortale, debet eſſe actus humanus, qui elici non poteſt ab homine rationis experte.

Irregularitas ex defectu. Irregularitas *ex defectu* varia eſt, vel ex defectu ſignificationis, ſeu Sacramenti, nimirum Matrimonii, ut eſt in bigamis, in quibus deficit repræſentatio Chriſti ſpiritualiter juncti cum unicâ Sponsâ Virgine, ſcilicet Eccleſiâ: vel ex defectu lenitatis, ut eſt v. g. in Judice condemnante reum: vel ex defectu corporis, ut eſt in mutilatis membrô ad Ordinis miniſterium requiſitô, aut notabiliter deformibus.

7. His omnibus expenſis, conveniunt in hoc omnes Theologi, quòd in Jubilæo non detur facultas abſolvendi quempiam ab irregularitate *ex defectu* quocumque è capite contractâ. Dubitant verò nonnulli, an Jubilæi tempore non poſſit tolli irregularitas *ex delicto*.

In Jubilæo non tollitur irregularitas ex delicto. 8. Concluſio eſt *negativa*.

Probatur primò. Quia in Bullis expreſsè dicitur. *Conceditur hôc Jubilæo facultas abſolvendi*

di

di à Cenſuris etiam in Bullâ Cœnæ contentis, pro foro conſcientiæ tantùm, non tamen diſpenſandi in irregularitatibus, etiam occultis. Quare cum non diſtinguant Bullæ inter irregularitatem ex delicto, & irregularitatem ex defectu, nec nos diſtinguere debemus: præſertim cum ſtylus Curiæ, quæ in interpretandis literis Apoſtolicis habet vim legis, non admittat ullam diſpenſationem in irregularitatibus vigore Jubilæi.

Probatur ſecundò. Quia irregularitas, ut ex definitione vidimus, non eſt propriè cenſura, ergo tempore Jubilæi, ubi tantùm tolluntur peccata etiam graviſſima, & cenſuræ, non poteſt tolli irregularitas, quamvis ex delicto.

His adde, diſpenſationem ab irregularitate, puta ex homicidio, vix à Pontifice concedi Magnatibus, non eſt igitur veroſimile, eam vi Jubilæi paſſim Confeſſariis concedi.

9. Objicies. In Bullâ Jubilæi à Pio IV. conceſſi annô 1561. dicitur, quòd Confeſſarius abſolvere poſſit ab excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto, & aliis ſententiis, & cenſuris Eccleſiaſticis: ergo præter excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum dantur aliæ cenſuræ, inter quas quænam major eſſe poteſt, quàm irregularitas ex delicto? Si ergo detur facultas Confeſſario abſolvendi quemlibet vi Iubilæi ab omnibus aliis cenſuris, datur ei per conſequens facultas abſolvendi à tali irregularitate. *Object.*

R. Per ly *ab aliis cenſuris* intelligi obicem quemdam pœnitentis, puta caſum reſervatum, ob quem ille ad tempus aliquod privatur uſu Sacramentorum, qui obex poteſt tolli vi Iubilæi, & talis obex rectè dicitur cenſura, in caſibus *Reſp.*

ſci-

ſcilicet Papæ reſervatis, qui non reſervantur niſi ratione cenſuræ: omnis autem cenſura in Iubilæo tollitur. Proinde non ſequitur, quòd etiam in Iubilæo poſſit tolli irregularitas ex delicto; cum irregularitas ex delicto non ſit cenſura, ſed impedimentum canonicum ex aliquâ indecentiâ ortum, ſacrorum ordinum ſuſceptionem, & ſuſceptorum uſum impediens, unde eſt quædam inhabilitas ad talia munia, non pœna propriè dicta. Sed claritatis gratiâ diſtinguatur antecedens. In Bullâ Iubilæi à Pio IV. conceſſi anno 1561. dicitur, quòd Confeſſarius abſolvere poſſit ab excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto, & aliis ſententiis, & cenſuris Eccleſiaſticis, ad tres præfatas cenſuras reducibilibus conceditur antecedens, non reducibilibus, negatur antecedens; reducitur enim v. g. abſolutio à caſu aliquo reſervato, cui annexa eſt cenſura, ad abſolutionem ab excommunicatione. Unde ex illis verbis *ab aliis cenſuris*, perperam infertur, irregularitatem eſſe cenſuram, illamque proinde tolli in Iubilæo.

Nonnulli caſus. 10. Ex dictis ſequitur primò, cum nullo tempore Iubilæi poſſe diſpenſari in irregularitate, quam quis incurrit v.g. ob homicidium notorium, imo ne quidem occultum. Unde Petrus, qui occidit vel occultè Paulum (ſubintellige injuſtè) ſi non ſit Clericus, nequit promoverî ad Ordines, ſi Clericus, nequit illos exercêre; niſi cum eo ab habente authoritatem in dictâ irregularitate diſpenſetur.

11. Sequitur ſecundò, Religioſum Presbyterum, qui ab Ordine apoſtatavit, & in apoſtaſiâ celebravit, adeòque ob violationem cenſuræ, ſcilicet excommunicationis, exercendo in eâ

actum

actum ordinis Presbyteratûs, irregularitate ſe involvit, non poſſe ab eâ pariter expediri vi Iubilæi.

Sed hæc paulò latiùs diſcutienda ſunt.

12. Petes primò, an cum Clerico ſæculari, qui occultô homicidiô perpetratô, ſacros Ordines exercuit, adeòque irregularitate ſeſe irretiit, non poſſit in eâ diſpenſare Epiſcopus?

R. Quòd non poſſit; unde etiam tempore Iubilæi cum eo ſolus Papa poteſt diſpenſare. Quare adeunda eſt ſacra Pœnitentiaria, cui facultatem ſuam Summus Pontifex impertitur. Quòd Epiſcopus hoc non poſſit in irregularitate contracta ex homicidio occulto, patet ex Tridentino ſeſſ. 24. de reformatione cap. 6. ubi hæc habet. *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ, quæ oritur EX HOMICIDIO VOLUNTARIO, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare.*

Sed nonne poſſet Epiſcopus in caſu homicidii occulti (in quo niſi Sacerdos irregularis celebret, incurrit vitæ periculum, puta ab amico occiſi, qui quidpiam de homicidio incipit ſuſpicari) cum eo in irregularitate tantiſper diſpenſare, vel potiùs ei dare licentiam, ut talis celebraret, donec impetrata ſit diſpenſatio à Pontifice?

Ante reſolutionem ſupponitur, quòd talis irregularis teneatur, quàm primum poteſt, abſolutè à Sede Apoſtolicâ petere diſpenſationem ſuper irregularitate; hôc poſitô.

R. Tali prævia à cenſuris, & peccatis abſolutione, ſtantibus illis circumſtantiis, poſſe dari licentiam celebrandi, dummodò, ut ſupponimus, homicidium ſit occultum.

Ra-

Ratio eſt. Quia jus naturale de defendendâ propriâ vitâ, præponderat legi humanę de non celebrando in irregularitate non abſolutè ablatâ.

Quid agendum eſt in altero caſu iſti Religioſo, qui tempore Iubilæi ad Religionem, quam deſeruit, rediit, & quem facti pœnitet?

Vel ille ſacram adeat Pœnitentiariam, vel in praxi ejus Confeſſarius adeat ſui Ordinis Superiorem, & ab eo omnem illius facultatem petat tum circa cenſuras, excommunicationem ſcilicet, quam ab Ordine apoſtatando incurrit, tum circa irregularitatem prædictam. Poteſt enim inferior ab Ordinis Superiore, vel ejus poteſtatem nacto à quibuſcumque irregularitatibus ex delicto provenientibus abſolvi.

Quid ad hunc caſum quoad Religioſum, qui incidit in irregularitatem?

Petrus Regularis tendens Romam causâ Jubilæi, & intrans Bibliothecam, cui præfixa eſt excommunicatio latæ ſententiæ in eos, qui libros extrahunt è bibliotheca, præ curioſitate dum volveret librum rarum, ex iſta eum ſurripit. Poſterâ die celebrat confeſſione non præmiſſâ, nec vinculô excommunitionis ſolutus. Interim dum Romæ ſit vicinior, feſtô quôdam ſolemni intereſt matutinis, & laudibus, ſub quarum fine intereſt diſpenſationi ſuper irregularitatibus, quam Superior ſolet impertiri ſuis Religioſis, talibus occurrentibus feſtis. Sacrum tunc non celebrans, ſed audiens, Romæ confitens abſolvitur ab excommunicatione ob librum ſurreptum è bibliotheca, & ab omnibus peccatis. Quantùm ad irregularitatem verò, à qua Confeſſarius etiam tempore Jubilæi abſolvere non poteſt, explevit ei effectum illud diſpenſationis ſuper irregularitatibus: atque ille reverâ ab irregularitate, quâ fuit

fuit innodatus ob celebrationem peractam in excommunicatione, abſolutus?

R. Affirmativè. Cum enim irregularitas ſit tantùm quædam inhabilitas impediens vel à ſuſceptione, vel ab exercitio Ordinum, diſpenſatio ſuper illâ conferri poteſt etiam extra Sacramentalem abſolutionem; cumque & Superior in illis circumſtantiis feſti intenderit diſpenſare ſuper irregularitate cum omnibus Religioſis in choro præſentibus, conſequenter & ille fuit ſuper ſua diſpenſatus.

Forma autem diſpenſationis in vel ſuper irregularitatibus eſt hæc, vel ſimilis. *Ego diſpenſo tecum, vel vobiſcum* (ſi publicè fiat à Superioribus) *ſuper irregularitate, vel irregularitatibus, ſi quam, vel ſi quas contraxiſtis, & rehabilito te, vel vos executioni Ordinum veſtrorum.*

Si in particulari à Confeſſario fiat diſpenſatio per facultatem à Superiore obtentam, poteſt & addi cauſa irregularitatis dicendo: *Diſpenſo tecum ſuper irregularitate, vel irregularitatibus, quam, vel quas contraxiſti propter talem, vel talem cauſam* &c. Preterea in particulari ſolet conferri à Confeſſario talis diſpenſatio poſt abſolutionem à cenſuris, & à peccatis.

Miſereatur tui &c. Indulgentiam &c. Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat, & ego authoritate ipſius, & authoritate Apoſtolica mihi ſpecialiter delegata abſolvo te in primis à quibuſvis ſententiis, & cenſuris Eccleſiaſticis, quibus propter ea, quæ confeſſus es, quomodolibet innodatus exiſtis, & pariter eadem authoritate abſolvo te ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Pariter eâdem authoritate Apoſtolica tecum di-

diſpenſo ſuper irregularitate, quam contraxiſti propter talem, & talem cauſam, quæ ſanè ſunt diverſæ, juxta varia delicta, ob quæ incurritur irregularitas.

Eadem forma diſpenſandi poſt abſolutionem à cenſuris, & peccatis, obſervari ſolet in diſpenſationibus ſuper irregularitatibus *ex defectu*. Sed de his aliâ occaſione.

14. Superſunt nunc paulò fuſiùs diſcutienda verba hæc Bullæ, de quibus obiter numerô 4. *Abſolutio à cenſuris ſuffragari non poteſt excommunicatis declaratis, aut publicè denuntiatis, niſi infra tempus Jubilæi ſatisfecerint, aut cum partibus concordaverint.*

Impotentes ſatisfacere parati poſſunt abſolvi à cenſuris tēpore Jubilei.

Supponatur v. g. quiſpiam occultè occiſus, homicida abſolvi non poteſt ab excommunicatione, in quam ob crimen illud incidit, niſi parti ſatisfecerit, id eſt hæredibus ſatisfactionem præſtiterit juxta modum jacturæ, quam præfati hæredes paſſi ſunt ex morte occiſi. Quare ſi occiſus fuiſſet pater-familias, & ſuâ induſtriâ filios, & uxorem ſuſtentaret, tenetur pœnitens omnia neceſſaria dictis filiis, & uxori præſtare juxta circumſtantias debitè librandas. Cautè autem ſatisfactio præſtetur, ne reus ſe prodat, ſeu ne ſuum delictum manifeſtet. Quapropter modus iſte ſatisfactionis relinquitur prudentiæ Confeſſarii determinandus, ut v.g. fiat per ipſum Confeſſarium, ſive per aliam perſonam Eccleſiaſticam, religioſam, aut etiam laicam, cui ita fidendum ſit, ut ſatisfactio ſecurè perveniat in manus hæredum.

Unde cenſetur parti ſatisfactum, ſi abſolvendus, v. g. homicida ita res diſponat, ut ſinè dubio ſecutura ſit ſatisfactio, ſeu totum id, ad

quod tenetur ex juſtitiâ. Ut ſi quis det Confeſſario pecuniam per eum tertio tradendam, aut pecuniam apud fidelem quampiam perſonam deponat. Cenſetur etiam parti ſatisfactum, ſi per tertium dilationem à parte læsâ obtineat, pars enim eſt contenta.

Sed quæſtio eſt, an qui impotens eſt ſatisfacere, puta ille occultus homicida hæredibus occiſi, vel alius quiſpiam creditori ob bona cuipiam ablata, & ob hoc nominatim excommunicatus eſt, quæſtio eſt, inquam, an ille ſive in uno, ſive in altero caſu impotens ſatisfacere, poſſit validè, & licitè abſolvi à cenſuris, etiamſi dicatur in Bullâ, quòd non abſolvatur, niſi præmiſsâ ſatisfactione partis?

15. Reſponſio eſt *affirmativa*.

Probatur. Quia etiam in foro externo, dum excommunicatus probat coram judice ſe non eſſe ſatisfaciendo, debet abſolvi ex *cap. quæ fronte de appellationibus*; ergo & in foro interno.

Et ratio à priori eſt, quia cenſura eſt pœna medicinalis, quæ tolli debet, quoties cenſuratus paratus eſt ſatisfacere, quantùm poteſt.

Deinde, ad impoſſibile nemo tenetur.

Hinc quamvis in quibuſdam excommunicationibus præſcribatur, quòd nemo abſolvatur, niſi in ſolo mortis articulo, non præmiſsâ ſatisfactione partis, adhuc tamen impotentes poſſunt abſolvi tempore Jubilæi. Ratio eſt, quia excommunicatio non plùs obligat, quàm obliget præceptum juſtitiæ, non enim inducit novam obligationem, ſed ſolùm compellit ad eandem juſtitiæ obligationem implendam; ſed præceptum juſtitiæ excuſat impotentes; ita ut ii abſolvi queant, etiamſi non reſtituerint: ergo etiam

excommunicatio excuſat impotentes, ita ut poſſint abſolvi, quamvis non ſatisfecerint. Quare dum dicitur, quòd in ſolo mortis articulo poſſit dari abſolutio ab aliquibus excommunicationibus,id intelligi debet quantùm ad potentes ſatiſfacere, hi enim in ſolo mortis articulo abſolvi poſſunt, quamvis non præmiſerint realem ſatisfactionem, ne interim ſinè abſolutione decedant, non verò quantùm ad impotentes ſatisfacere, cum ad impoſſibile nemo teneatur, unde illi abſolvi poſſunt extra mortis articulum vi Iubilæi, ſubſiſtente impotentiâ ſatisfaciendi.

Cautio juratoria ab eis exigenda eſt.

Ab illis tamen juxta Sacrorum Canonum verba, & communiorem Doctorum ſententiam cautio juratoria de præſtandâ ſatisfactione,quàm primùm poterunt, ante abſolutionem exigenda eſt, ut ad ſatisfaciendum fortiùs adigantur.

Abſolvi etiam poterit impotens ſatiſfacere publicus Clerici percuſſor.

16. Hinc & quiſcumque Excommunicatus denuntiatus vitandus, ut publicus Clerici percuſſor, ſi ſit impotens ad ſatisfaciendum parti, puta ad ſolvendas expenſas in ſanatione v. g. vulneris, aut alia damna reparanda, abſolvi poterit,etiamſi nondum ſatisfecerit, dummodò promptè ſatiſfacere ſit paratus.

Ratio ulterior eſt. Quia Pontifex concedit facultatem abſolvendi pro foro interno omnes excommunicatos, ſi parti ſatisfecerint, quin excludat vitandos, talis autem in caſu poſito, dum eſt impotens, paratus tamen ſatisfacere, dum poterit, quantùm in ſe eſt, ſatisfecit, proinde abſolvi poterit.

Confirmatur ex dictis. Cenſura quælibet eſt impoſita, tanquam medicina ad curandam contumaciam, adeòque debet ea tolli, quoties finem ſuum eſt ſortita; aliter non eſſet pharma-

cum,

cùm, ſed iniquum gravamen; ſed dum quis paratus eſt ſatisfacere, licèt ob impotentiam nondum ſatisfecerit, jam curata eſt delinquentis contumacia, ergo in eo caſu cenſura tollenda eſt.

17. Neque ullum ſcandalum ex ablatione iſtius cenſuræ, ſeu ex tali abſolutione ſequitur, quia ea ſolùm datur pro foro interno. *In foro externo talis ſe debet gerere pro Excōmunicato.*

Unde quoad forum externum hujuſmodi excommunicati debent ſe gerere, ac ſi non forent abſoluti. Quare ſi percuſſor ille Clerici eſſet Sacerdos, non licêret ei celebrare, & poſſet ab Ordinario declarari irregularis, ſi celebraſſet.

Porro ille omnem adhibeat operam, ut in foro quoque externo reſtituatur communioni Eccleſiæ.

18. Ex præfatis infertur, illum, qui potens ſatisfacere, abſolveretur, non præmiſsâ ſatisfactione, non ſolùm illicitè, ſed etiam invalidè fore abſolutum. Ratio eſt. Quia cum facultas abſolvendi concedatur ſub hâc conditione, quòd *parti ſit ſatisfactum*, (dum ſcilicet ei poteſt fieri ſatis) tali conditione non purificatâ, facultas non conceditur, & per conſequens abſolutio eſt nulla.

19. Reſtat inquirendum, an & licitè, & validè poſſit conferri abſolutio à cenſuris pro foro interno extra Sacramentum?

Reſponſio eſt *negativa*. *Nequit dari abſolutio à cēſuris extra Sacramentum pro foro interno.*

Probatur. Quia facultas illa abſolvendi à cenſuris in foro interno datur in ordine ad abſolutionem à peccatis, & ut diſpoſitio prævia ad illam, unde non poteſt quis eſſe abſolutus à culpâ, niſi priùs ſit abſolutus à cenſurâ, proinde nec licitè, nec validè alicui poteſt conferri

 ab-

abſolutio à cenſuris pro foro interno extra Sacramentum.

20. In foro autem externo poteſt dari extra Sacramentum. Quia tunc talis abſolutio non eſt Sacramentalis.

Poteſt pro foro externo. Imo talis ex rationabili cauſâ poſſet dari abſenti, quin etiam invito.

Paritatem ſi trahas ad illum, qui peccavit, cui peccata non poſſunt remitti invito, ſic reſpondet S. D. in Suppl. quæſt. 24. art. 2. in corp. *Peccata non committuntur niſi voluntate, unde non remittuntur alicui invito: ſed excommunicatio ſicut in aliquem invitum ferri poteſt, ita etiam invitus ab eâ abſolvi poterit.*

QUÆSTIO X.

De poteſtate Confeſſarii circa caſus reſervatos eôdem tempore Jubilæi.

UTì in quæſtione præcedenti circa *Cenſuras*, ita & in hâc ante reſolutiones, quædam prælibanda ſunt circa *caſus reſervatos*.

Videndum eſt, quid ſit caſûs reſervatio, & quinam poſſint reſervare.

Quid ſit caſus reſervatus? 1. Quantùm ad primum, quamvis nullum peccatum, licèt graviſſimum ſit irremiſſibile, attamen Eccleſia per traditionem ab Apoſtolis hauſtam ſapienter judicavit, ad regimen Eccleſiæ conducere, ut graviora quædam crimina Superioribus reſerventur.

Magnoperè, inquit Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 7. *Ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinêre Sanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam, & graviora crimina, non à quibuſ-*

buſvis, ſed à Summis duntaxat Sacerdotibus abſolverentur.

Casûs igitur reſervatio *eſt negatio, vel reſtrictio Jurisdictionis ad abſolvenda certa peccata, facta illi, qui aliàs habet ordinariam, vel delegatam juriſdictionem.* Unde eorum abſolutio reſtringitur ad ipſum reſervantem nimirum ad Papam, ſi ſit caſus Papalis, vel Epiſcopum, ſi ſit Epiſcopalis: ſinè quorum proinde licentiâ nemo validè poteſt abſolvere extra Mortis articulum.

Id egregiè explanat Doctor Angelicus in Suppl. q. 20. art. 2. in corpore. *Poteſtas Ordinis quantum eſt de ſe, extendit ſe ad omnia peccata remittenda: ſed quia ad uſum hujuſmodi poteſtatis requiritur juriſdictio, quæ à Majoribus in inferiores deſcendit, ideò poteſt SUPERIOR ALIQUA SIBI RESERVARE, IN QUIBUS JUDICIUM INFERIORI NON COMMITTAT, aliàs de quolibet poteſt ſimplex Sacerdos habens juriſdictionem abſolvere.* Superior autem ille eſt Papa, & in ſuâ Diœceſi Epiſcopus. Unde de ſe ruit hæc propoſitio confixa ab Alexandro VII. *Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis, non obtentâ ad id Epiſcoporum facultate.*

Porro ideò quædam peccata reſervantur, tum quia graviores morbi peritiores requirunt Medicos, quales ordinariè ſunt, vel eſſe præſumuntur Superiores: tum etiam, ut Superior vel per ſeipſum efficaciùs corrigat ſubditum, vel ut ſubditus verecundiâ, timore, ac difficultate impetrandi abſolutionem, peccati gravitatem agnoſcat, & à peccati licentiâ deterreatur.

2. Diſtinguenda verò ſunt *caſus*, & *cenſura*, quòd hæc ſit certa quædam pœna Eccleſiaſtica,

ille verò ſit peccatum, ſive adjunctam habeat cenſuram, ſive non.

Unde caſus reſervati ſunt duplicis generis: quinam enim reſervantur propter majorem excommunicationem iis annexam; alii reſervantur ratione gravitatis ipſorum, ut quibuſdam in locis publica, & enormis blaſphemia.

Intereſt autem inter caſus reſervatos Papæ, & reſervatos Epiſcopis, quòd omnes illi habeant cenſuram annexam, non omnes hi. Unde cui conceditur facultas abſolvendi à caſibus Papalibus, conceditur ei ſimul poteſtas abſolvendi à cenſuris Pontifici reſervatis.

Quinam poſſint reſervare.

3. Ex dictis colligi valet, quinam poſſint reſervare. Reſervare poteſt Papa in totâ Eccleſiâ, Epiſcopus in ſua Diœceſi, Prælati Religionum (utpote gaudentes juriſdictione quaſi Epiſcopali) in ſuo Ordine. In articulo mortis nulla eſt reſervatio.

Ad præſens igitur quod ſpectat, ſic Clemens X. in famosâ expreſſione gratiarum, cui ſe poſteriores Pontifices conformarunt. *Datur facultas abſolvendi in ordine ad Jubilæum lucrandum, fideles ab omnibus ſententiis, & cenſuris Eccleſiaſticis contrà illos pronuntiatis; & fulminatis à ſacris Canonibus, aut Judicibus quâcumque de cauſâ, & ab omnibus pèccatis, & exceſſibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam à caſibus reſervatis, non ſolùm ab Epiſcopis, aut aliàs à Prælatis inferioribus, verùm etiam à Pontifice ipſo, etiam in Bullâ Cœnæ Domini, & in aliis quibuſcumque Conſtitutionibus Summorum Pontificum, in foro conſcientiæ tantùm.*

4. Quæritur hìc primò, an facultas abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnę tempore Jubilæi extendat

dat ſe etiam ad hæreſim, ſcilicet *formaliter* talem, id eſt internam, & externam ſimul ſignô aliquô manifeſtatam.

An hęreſis ſit caſus reſervatus etiã tempore Iubilæi.

Sanè cum in Bullâ Cœnæ comprehendatur caſus ille hæreſeös, & Jubilæo durante, facultatem abſolvendi à caſibus in Bullâ Cœnæ contentis Pontifex tribuat, videtur ſuapte naturâ ſequi, quòd data ſit præfata facultas: cum ubi lex, ſeu Pontifex non diſtinguit, nec coarctat licentiam, nec nos eam diſtinguere, nec coarctare debeamus.

Attamen cum caſus hęreſis in Italiâ ſit rariſſimus, & Pontifices nonnulli Decreta quædam à Sacra Congregatione Cardinalium univerſalis Inquiſitionis quoad reſervationem hæreſis etiam tempore Iubilæi, emanata approbarint, inſuper & praxis quoad reſervationem illam tempore eôdem Iubilæi Romæ obtineat, ideò haſce ſpectando circumſtantias caſus hæreſis eô quoque tempore erit reſervatus.

In aliis locis,ut in Germaniâ, & alibi in Iubilæis extraordinariis cum ob vicinitatem Hæreticorum,tum ob emergentem indè frequentiam caſûs data cenſetur facultas à Sede Apoſtolicâ abſolvendi ab hæreſi, idque praxis confirmat, quæ eſt optima legum interpres, imò illa etiam extra talis Iubilæi tempora ob eaſdem rationes Epiſcopis à Pontifice ſpecialiter conceſſa eſt.

Caſus hic affines.

5. Romæ tamen etiamſi ipſa hæreſis reſervetur, vi Iubilæi abſolvi poſſunt receptores, & fautores hæreticorum, tenentes, legentes, imprimentes libros hæreticos. Ratio eſt. Quia nomen hæreſis ſignificat hæreſim formalem, ſeu errorem contra fidem in intellectu cum pertinaciâ voluntatis: ergo ſi excipiatur crimen hæ-

 reſis,

reſis, non debet hæc exceptio ad alia crimina, & ad alios caſus Bullæ Cœnæ extendi, quamvis hæreſim concernant, dummodò non ſint propriè hæreſis.

6. Hinc Schiſmaticus, dummodò ſit purè Schiſmaticus, ita ut non habeat hæreſim admixtam, poterit abſolvi tempore Iubilæi. Schiſma enim non ſemper fert errorem contra fidem, quamvis plerumque cum aliquâ hæreſi conjungatur. Id conſtat ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 39. art. 1. ad 3. *Quicumque eſt Hæreticus, eſt etiam Schiſmaticus. ſed non convertitur. Et hoc eſt, quod dicit Hieron. in epiſt. ad Titum* (ex cap. 3.) *inter ſchiſma, & hæreſim hoc intereſſe arbitror, quòd hæreſis perverſum dogma habet: ſchiſma ab Eccleſiâ ſeparat.* Eſt tamen *Schiſma via ad hæreſim.* Imo ſæpiſſimè *Schiſma aliquam ſibi hæreſim confingit.*

An facultas abſolvendi à reſervatis Papæ ferat facultatē abſolvendi etiam à reſervatis Ordinariis locorum.

7. Porrò quærunt hîc nonnulli, an facultas abſolvendi tempore Iubilæi à reſervatis Sedi Apoſtolicæ, contineat facultatem abſolvendi etiam à reſervatis Ordinariis locorum?

Sed certè hoc quæſitum videtur præoccupatum numerô 3. ubi in Iubilæis expreſsè conceditur facultas abſolvendi à caſibus, qui ſunt reſervati Ordinariis locorum. Unde & hoc praxi conforme eſt. Deinde, præter mentem, & licentiam Pontificis, ſuffragatur hæc ratio. Pontifex dando facultatem abſolvendi à reſervatis ſibi, tribuit facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus, à quibus ipſe poteſt: ſed Pontifex poteſt abſolvere à reſervatis Epiſcopo; ergo ab his etiam abſolvere poſſunt Confeſſarii Iubilares.

8. Illud verò hîc obſervandum eſt, quòd licèt Pontifex tempore Iubilæi concedat facultatem ab-

abſolvendi à caſibus omnibus reſervatis locorum Ordinariis, illam tamen non cenſeatur concedere, dum quibuſdam, ex privilegiis, & facultatibus particularibus data eſt facultas abſolvendi à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis. Talia enim privilegia, & facultates particulares non debent præjudicium inferre Epiſcopis: qui pro utilitate ſuæ Communitatis, ſeu Diœceſeôs caſus quoſdam ſibi ſpeciatim reſervant. Unde meritò proſcripta fuit hæc præmemorata aſſertio ab Alexandro VII. *Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis non obtentâ ad id Epiſcoporum facultate*: cum tamen certum ſit, Mendicantes quibuſdam feſtis frui privilegiô abſolvendi à reſervatis Pontifici. *Caſus hic emergens.*

Quare Dominicanus v. g. qui in Feſto Annuntiationis Deiparæ ex ſpeciali Privilegio gaudet facultate abſolvendi à caſibus Papæ reſervatis, adeòque à graviſſimis etiam delictis in materiâ carnis, non poſſet ex vi privilegii illius abſolvere à caſu aliquo particulari ad illam materiam diſponente, puta converſatione ruſticorum cum puellis ruſticalibus inter pocula, ſupponendo quòd Epiſcopus (ut fit in quibuſdam Diœceſibus Belgii) ex ſingulari aliquo motivo eam converſationem ſibi reſervaſſet; & Confeſſarius non haberet facultatem abſolvendi à caſu iſto reſervato Epiſcopo. Pontifex enim per privilegia particularia non vult tollere, quæ Epiſcopus ob particulares circumſtantias neceſſaria judicat pro recto regimine Gregis ſibi commiſſi.

Aliud autem eſt in Iubilæo univerſali, & plenariâ facultate abſolvendi à reſervatis, quæ unicâ tantùm vice datur ex causâ urgentiſſimâ, & maximè favet animabus, unde per illam nul-

lum creatur præjudicium Epiſcopis.

Caſus occurrentes circa abſolutionem reſervatorum.

Sequitur de abſolutione reſervatorum.

Vidimus ſupra quæſtione 9. numerô 24. abſolvi aliquem poſſe à quibuſvis peccatis etiam commiſſis in confidentiam, ſeu ſpem Iubilæi.

Addendum hunc eſt, etiamſi *illa peccata forent reſervata*, ab omnibus enim reſervatis in Iubilæo poteſt dari abſolutio.

Cum verò nullus Iubileum bis lucrari queat, ſequitur, eum qui in priori hebdomadâ adimplevit opera ad lucrandum Iubilæum requiſita, fuitque tunc abſolutus à caſibus reſervatis, & lucratus Indulgentias, ſi relabatur deinde in reſervatos, non poſſe denuò alterâ hebdomadâ ab iis reſervatis in ordine ad Iubilæum iteratò obtinendum abſolvi, etiamſi omnia repeteret opera ad illud adipiſcendum requiſita.

10. At quid ſi quis ſub initium ſecundæ hebdomadæ confiteretur peccata reſervata, & differretur ei à Confeſſario ob cauſam rationabilem abſolutio, deinde eâdem hebdomadâ relaberetur in reſervata, poſſetne ei ab omnibus illis reſervatis, debitâ ut ſupponimus, diſpoſitione requiſitâ, impendi abſolutio, atque ita ille, reliquis impletis injunctis operibus, conſequi Iubilæum?

R. Affirmativè. Ille enim tantùm ſemel lucraretur Iubilæum. Neque refert, quòd in reſervata reinciderit, hoc enim contigit intra ſpatium ejuſdem moraliter confeſſionis, eadem enim cenſetur confeſſio, donec abſolutio accedat.

11. Quid ſi igitur intra tempus Jubilæi v. g. ultimô die Jubilæi quiſpiam inciperet confiteri, confeſſionem verò (quia fuit nimis prolixa) non

per-

perficeret, ſed ex conſilio Confeſſarii partem differret in proximum, vel ſecundum diem poſt Jubilæum, poſſetne poſt illud etiamnum abſolvi à reſervatis ante finem Jubilæi commiſſis?

R. Affirmativè. Quia cenſetur moraliter eadem Confeſſio.

Poſſet, inquam, abſolvi *à reſervatis ante finem Jubilæi commiſſis*. Si verò reſervata ſint commiſſa poſt finem Jubilæi, ab illis abſolvi non poteſt virtute Jubilæi, cujus facultas ſolùm eſt data pro contractis antè Iubilæum, vel eô durante.

Cæterùm quòd quilibet etiam Confeſſarius poſt tempora Jubilæi poſſit abſolvere quempiam à peccato reſervato invincibiliter oblito, cujus tunc tantùm pœnitens recordaretur, ſupra vidimus quæſt. VI. num. 17.

12. Secùs dicendum eſt, ſi confitens oblitus fuiſſet caſum reſervatum ex oblivione culpabili. Tunc enim confitens non fecit, quod potuit, utì alter, qui invincibiliter caſus reſervati oblitus eſt, talis enim optimè erat diſpoſitus, & reſervata pandere Confeſſario paratus erat, ſi iſta menti occurriſſent. Ille verò erat omninò indiſpoſitus. Unde ad alterum à reſervatis abſolvendum quilibet Confeſſarius poteſtate gaudet generali, non verò ad eum, qui oblitus fuiſſet caſum reſervatum ex oblivione culpabili. Quare ille teneretur eum rurſus confiteri Confeſſario facultate abſolvendorum caſuum reſervatorum munito.

13. Quid agendum ei, ſive infra, ſive extra tempus Jubilæi, qui dubitat, an peccatum, quod commiſit, ſit reſervatum?

Debet illud confiteri, ut reſervatum, ſeu

illius

illius deciſionem Confeſſario relinquere, eôdem modô, quô peccatum mortale dubium, cadit ſub præcepto Confeſſionis. Unde extra tempus Iubilæi talis deberet hoc peccatum confiteri alicui poteſtatem nacto ad abſolvendum à reſervatis.

14. Neque hîc valet axioma illud à quibuſdam huic etiam materiæ perperam applicatum, *in dubiis melior eſt conditio poſſidentis*, quaſi talis in dubio peccati reſervati, retineat ſuam libertatem de illo non confitendo: illud enim tantùm vendicat ſibi locum in materiâ juſtitiæ, ſecùs in materiâ aliarum virtutum; tunc enim teneri debet illud, *in dubiis tutior pars eſt eligenda*; tutius autem eſt in caſu poſito confiteri peccatum, de quo quis dubitat, an ſit reſervatum, ut dubium reſervatum; proinde ad illud tenetur.

15. Hinc etiam Confeſſarius extra Iubilæum, dubitans, an caſus aliquis ſit reſervatus, nec pollens authoritate abſolvendi à reſervatis, non poteſt ab eo abſolvere.

16. Quid dicendum de illo, qui cum animo implendi omnia opera Iubilæi, obtinuit abſolutionem à reſervatis, & deinde non implet opera injuncta, reviviſcuntne in eo caſus reſervati, ſeu cenſuræ illis annexæ?

R. Negativè. Quia abſolutio ab illis fuit data abſolutè, non verò conditionatè, vel ad reincidentiam.

Quî ſe geret Confeſſarius, qui v. g. tempore Iubilæi malè ob aliquas circumſtantias, puta non injunctam ſatisfactionem parti faciendam, pœnitentem abſolvit à reſervatis?

R. Si pœnitens ille præſens ſit, nec oritu-

ra ſint quædam ſcandala, poſſe ei ſuaviter dicere Confeſſarium. *Lubens viderem, ut et amnum mihi ſemel confitereris: dicam enim quædam pro ſalute animæ tuæ.*

Si abſens ſit, nihil agat, ſed doleat de defectu commiſſo.

QUÆSTIO XI.

De Poteſtate Confeſſarii in ordine ad Vota.

IN Jubilæis tum *Anni Sancti*, tum *duarum hebdomadarum* dari ſolet facultas commutandi vota omnia citra præjudicium tertii, exceptis *Caſtitatis perpetuæ*, ſeu *ſimplicis*, & *Religionis.*

1. Sed priuſquam hæc diſcutiantur, obſervandum eſt, aliud eſſe diſpenſare in votis, aliud commutare vota.

Diſpenſatio in votis eſt *relaxatio juris*, ſeu *vinculi voti facta ab eo, qui habet poteſtatem relaxandi illud vinculum*, unde diſpenſatio tollit vinculum voti, commutatio autem mutat ſolummodò votum in aliam materiam. *Si abſolutè determinetur, votum non eſſe ſervandum, dicitur eſſe diſpenſatio voti: ſi autem pro hoc, quod ſervandum erat, aliquid aliud imponatur, dicitur commutatio voti.* D. Thomas 2. 2. quæſt. 88. art. 6. in corp. In utrâque tamen re requiritur authoritas Superioris.

Quid ſit diſpenſatio in voto. Quid commutatio voti.

Dum tamen evidenter conſtat, illud, in quod votum eſt commutandum, eſſe non ſolùm meliùs ex ſuo genere, ſed omnibus benè perpenſis, & eſſe melius, & Deo gratius, non requiritur Superioris authoritas.

Itaque ſi quis voverit dare calicem argenteum,

teum, ſuâ authoritate poteſt illud votum commutare dando calicem aureum, & ſi voverit dicere ſeptem Pſalmos, poteſt illos commutare celebrando unam Miſſam. Qui autem vovit jejunare, vel cilicium geſtare, non poteſt hoc authoritate ſuâ in orationem mutare, etſi oratio ſit actus præſtantioris virtutis, nimirùm latriæ: non enim ſemper Deo gratius, & nobis utilius eſt facere id, quod eſt excellentius, ſed id, quod pro loco, tempore, & diſpoſitione noſtrâ magìs noſtræ congruit ſaluti: ad quod judicandum Superioris authoritate ordinariè opus eſt.

Dum igitur hîc agitur de commutatione votorum, agitur de commutatione, ad quam requiritur Superioris authoritas.

Illa autem authoritas tribuitùr à Pontifice Confeſſariis tempore Jubilæi.

2. Cæterùm *minùs eſt votum commutare, quàm in voto diſpenſare*. Ibidem. Poteſt enim qui in illo diſpenſat, votum commutare, non tamen è converſo: cum non oporteat, ut cui conceditur minus, concedatur & majus.

Imo ne quidem in articulo mortis Confeſſarii Jubilares poſſunt diſpenſare in votis. Illa quippe facultas ne quidem tunc illis conceditur.

Facultas commutandi vota non ſe extendit ad ea, quæ ſunt in favorem tertii, ſi ſint acceptata.

3. Itaque Confeſſariis Iubilaribus tribuitur tantùm à Pontifice poteſtas commutandi vota, non verò diſpenſandi in illis.

Sit nunc Concluſio prima.

Facultas commutandi vota non ſe extendit ad ea, quæ ſunt in favorem tertii, ſi ſint acceptata.

Probatur. Quia Pontifex non vult jus lædere alicujus tertii.

Unde talia vota nón ſolùm continent obligationem voti, ſed etiam ſibi vendicant obligationem

tionem promiſſionis humanæ acceptatæ, ac proinde obligationem fidelitatis, & juſtitiæ.

Secùs verò eſſet, ſi ſolùm in ratione voti remanerent.

4. Hinc infertur primò, in eo, qui vovit Petro pauperi dare tres aureos, ſi illam promiſſionem Deo factam, & à vovente ſibi manifeſtatam Petrus acceptarit, non poſſe illud votum in Jubilæo commutari; ſi ſcilicet manerent, ut in talibus ſupponitur, eædem circumſtantiæ, puta quòd vovens non eſſet factus impotens ad pecuniam illam erogandum; quia nimirum illud vergeret in præjudicium tertii. *Caſus in hâc materiâ.*

5. Infertur ſecundò, nec illius votum poſſe commutari, qui voviſſet alicui Cœnobio ædificare Chorum, vel Altare quoddam in Eccleſiâ, terræmotu, incendiô, aut alio caſu deſtructum, ſi illud votum acceptaſſet Superior.

6. Infertur tertiò, idem dicendum eſſe de illo, qui honeſtæ Virgini, ut in Matrimonio debitè collocaretur, citra corruptionem ipſius, ex puro amore erga Deum, & proximum, voviſſet dare centum aureos, quod votum illa acceptaſſet.

Aliter dicendum eſt, ſi in his, aut aliis caſibus, votum à ſolo Deo fuiſſet acceptatum, & non ſimul à proximo.

7. Hinc votum à Parocho v. g. tardiùs, quàm oporteret, Officium recitante, coram ſolo Deo emiſſum, de ſingulis vicibus, ſi illud tardiùs legeret, diſtribuendis pauperi quatuor Paulis, poſſet in aliud opus minùs onerosum, cum ſe jam emendaſſet, commutari, puta in ſacrum aliquod pro Defunctis celebrandum, aut quaſdam particulares preces fundendas, ſi deinceps

Offi-

Officium tardiùs perſolveret.

Hinc à fortiori commutari poſſunt vota, in quibus nulla omnino unius tertii fit mentio, ut jejunia, humicubationes, peregrinationes, aliquot preces certis diebus dicendæ, & id genus alia.

Poſſunt commutari vota 3. peregrinationum.

8. Poſſunt etiam in Iubilæis commutari vota Peregrinationis in Jeruſalem, ad S. Iacobum in Urbe Compoſtella, & ad limina Apoſtolorum.

Quamvis enim & hæc tria ſint Pontifici reſervata, in Iubilæis tamen tantùm excipiuntur vota perpetuæ Caſtitatis, & Religionis, adeòque tria alia non ſunt in Iubilæis reſervata.

Commutatio Voti de *Peregrinatione ad limina Apoſtolorum*, locum non habet in Iubilæo *Anni Sancti*, cum illorum viſitatio contineatur ſub operibus ad lucrandum Iubilæum requiſitis: habet tamen locum in Iubilæis *duarum hebdomadarum*.

Commutari poſſunt vota etiam perpetua.

9. Poſſunt quoque commutari vota perpetua, ut votum de abſtinendo per totam vitam à vino, à certo genere cibi, & ſic de aliis.

Tacita objectio.

Quòd ſi in quibuſdam locis Divus Thomas aſſerat, non poſſe diſpenſari in votis perpetuis, nec talia commutari poſſe, id intelligitur de votis perpetuis ſimplicibus Caſtitatis. In his enim ſolus Pontifex & diſpenſare poteſt, & illa commutare.

Omnia vota commutantur in profeſſione.

10. Porro accuratè notandum eſt, omnia vota etiam Summo Pontifici reſervata commutari poſſe per profeſſionem Religioſam. Audiatur S. D. 2. 2. q. 88. art. 12. ad 1. *Omnia alia vota*, inquit, *ſunt particularium operum: ſed per Religionem homo totam vitam ſuam Dei obſequio deputat. Particulare autem in univerſali includitur, & ideò de-*

decretalis (in capite *Scripturæ de Voto*) *dicit quòd reus fracti voti non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam Religionis obſervantiam commutat. Hinc Religionem ingrediens non tenetur implêre vota vel jejuniorum, vel orationum, vel aliorum hujuſmodi, quæ exiſtens in ſæculo fecit, quia Religionem ingrediens moritur priori vitæ. Et etiam ſingulares obſervantiæ Religioni non competunt, & Religionis onus ſatìs hominem onerat, ut alia ſuperaddere non oporteat.*

11. Unde qui neſcio quot preces in ſæculo ex voto recitare ſolitus erat, ad illas non obligatur poſt profeſſionem, in illam enim omnia quæcumque vota fuerunt commutata. Quapropter non peccat eas omittens, niſi fortè conſcientiâ erroneâ laborans, contra illam ageret: hinc illam, deponat, oportet.

12. Concluſio ſecunda.

Votum de non petendâ commutatione votorum poteſt commutari. *Votum de non petendâ commutatione poteſt commutari.*

Probatur. Privata voventis intentio nequit Superioris poteſtatem coarctare, ac illum ſuâ poteſtate privare.

Deinde, Votum illud non eſt reſervatum, cum neque ſit Caſtitatis, neque Religionis.

13. Concluſio tertia.

Facultas commutandi Vota tempore Jubilæi conceſſa, extenditur ad vota ante, & poſt illam conceſſionem emiſſa, ita ut poſſint commutari tum vota emiſſa intra 15. dies, quibus durat Jubilæum duarum bebdomadarum, tum vota emiſſa intra annum, quô durat Jubilæum Anni Sancti. *Facultas commutandi vota, ad quæ tempora ſe extendat.*

Probatur. Facultas vota commutandi eſt gratia, favor, & beneficium Pontificis, ergo non eſt reſtringenda, ſed potiùs amplianda,

quan-

quantùm verba propriè intellecta patientur: illa autem verba propriiſſimè recipiunt hunc ſenſum, ut per ſe patet.

Unde quemadmodùm & facultas data eſt abſolvendi à caſibus reſervatis ante Jubilæum, & eò etiam durante commiſſis, ita pariter in votorum commutatione diſcurrendum eſt.

Progrediamur modò ad caſus circa vota perpetua *Caſtitatis*, & *Religionis*, quæ Pontifex à poteſtate commutandi excipit, & ſibi reſervat, occurrentes.

Cæterùm debent hujuſmodi vota ſumi pro perfectis, & integris, ut reſervationi ſubjaceant.

Caſûs occurrentes circa vota Caſtitatis.

14. Eſtne reſervatum Pontifici votum non contrahendi Matrimonium?

R. Non eſſe. Quia non eſt votum ſimpliciter Caſtitatis, quale per votum *Caſtitatis* intelligitur. Tale enim votum dicit omnimodam abſtinentiam à venereis; Votum verò non nubendi, non reſpicit tanquam materiam omnimodam abſtinentiam à venereis: unde vovens non nubere, non violat votum, ſi poſteà fornicetur.

Imo Matrimonium iniens contra votum, peccat quidem ſic Matrimonium contrahens; non tamen peccabit Matrimonium conſummans poſt Matrimonium initum, etiam primâ vice, ſive petendo, ſive reddendo debitum, quia hoc votum tantùm habet pro objecto non inire Matrimonium, abſtinentia verò ab actu Matrimonii non eſt per ſe; & primariò intenta, ſed ſecundariò, & ſuppoſitâ abſtinentiâ ab ipſo Matrimonio ineundo, quæ eſt primaria, & immediata materia voti. Dum igitur jam primaria materia non eſt poſſibilis, quia initum eſt Matri-

trimonium, non eſt obligatio ad ſecundariam, nempe ad abſtinentiam ab illius uſu.

Tenetur tamen hic, mortuâ Conjuge, ab aliis nuptiis, niſi commutètur votum, abſtinêre, quia votum non erat extinctum, ſed ſuſpenſum, durante primi Matrimonii impedimentô.

Porro in binis illis caſibus in praxi ſpectanda eſt intentio voventis. Si enim per votum *non nubendi* intendiſſet omnimodam à venereis abſtinentiam, talis & peccaret contra votum fornicando, & matrimonium conſummando, petendo debitum.

15. Non eſt etiam reſervatum votum non fornicandi, & non adulterandi, quia eſt votum diminutæ caſtitatis, non integræ, & perfectæ, emittens enim tale votum poteſt matrimonium contrahere.

Idem eſt de voto caſtitatis conjugalis ſervandæ, quia non eſt votum perfectæ, & integræ caſtitatis, in hoc conſiſtentis, ut à quocumque actu contra caſtitatem abſtineatur. Unde & illa poſſunt commutari.

Non eſt quoque reſervatum votum à Conjuge emiſſum ſinè licentiâ compartis: illud enim non eſt perfectum, proindeque non reſervatum.

16. Reſervatum eſt, ſi votum ab utroque Conjuge cum reciprocâ licentiâ emittatur. Cum enim neuter tunc poſſit debitum exigere, neuter tenetur, nec poteſt reddere vi mutuæ ceſſionis ſui juris: conſequenter illud votum eſt perfectum, adeòque Pontifici reſervatum.

17. Item reſervatum eſt, proindeque incommutabile, ſi mulier ſe ad votum perpetuum caſtitatis adſtrinxerit antè matrimonium. Hinc non poteſt debitum petere (quamvis poſſit red-

dere) niſi cum eâ pro tempore diſpenſetur à Pontifice. Quare non ſuffragamur quorumdam ſententiæ aſſerentium, quòd Epiſcopus poſſit diſpenſare cum tali in exigendo debito conjugali. Votum enim caſtitatis emiſſum ante matrimonium, eſt votum perfectum; & abſolutum, cum ſit emiſſum ab eâ, quæ eſt ſui juris, proinde Pontifici reſervatum.

Dixi, *niſi cum eâ in voto caſtitatis pro tempore diſpenſetur*. Hæc enim, mortuô Maritô, tenetur ſervare caſtitatem. Sic quippe tantùm ſolet dari diſpenſatio.

Ex dictis infertur, commutari poſſe votum caſtitatis ad tempus, puta ad duos, treſve annos, non enim hoc eſt votum ſimpliciter caſtitatis; proinde nec reſervatum.

18. Sed eſtne reſervatum, adeòque incommutabile votum ſuſcipiendi ſacros Ordines?

R. Negativè. Quia illud non eſt votum caſtitatis, ſed aſſumendi ſtatum, cui caſtitas eſt annexa. Vovens enim ſuſcipere ſacros Ordines, non promittit caſtitatem præſentem, ſed futuram, vovens verò caſtitatem, promittit præſentem.

Confirmatur. Vovens caſtitatem, ſtatim in quocumque actu venereo impingit in votum, vovens verò ſuſcipere ſacros Ordines, ſi commiſceatur cum fœminâ antè ſuſceptionem Ordinis, non peccat contra votum Caſtitatis.

19. Quid dicendum eſt, ſi quæ voveret Virginitatem ſimpliciter, & abſolutè, nihil cogitans, differatne Virginitas aliquâ ratione à Caſtitate, nec ne?

R. Hoc votum eſſe ſimpliciter, & abſolutè votum caſtitatis, & Papæ reſervatum: dum enim

enim ſimpliciter vovetur Virginitas, vovetur abſtinentia ab omnibus venereis. Unde *mulier, quæ ſic vovit Virginitatem, ſi poſteà corrumpatur, debet ſervare perpetuam continentiam.* S. D. 2. 2. q. 88. art. 3. ad 2.

Si quæ tamen vovêret virginitatem, ſinè intentione ſervandi perpetuam caſtitatem, ſed tantùm vitandi primum illum actum deflorationis integritatis, illa non voveret ſimpliciter caſtitatem, & ideò tale votum non foret ſimpliciter reſervatum: tunc enim amiſsâ Virginitate per primum actum, extinguitur obligatio voti, quia illa eſt reddita impoſſibilis.

In dubio de intentione, cenſendum eſt, tale votum obligare ad continentiam perpetuam, ac eſſe caſtitatis ſimpliciter, quia votum de ſui naturâ ad id obligat, niſi adſit expreſſa intentio voventis in contrarium.

20. Quid agendum in dubio, an votum aliquod ſit reſervatum?

R. Illud exiſtimandum eſſe reſervatum, *in dubiis* enim citra materiam juſtitiæ, *tutior pars eſt eligenda*. Idem diximus ſupra circa *caſus reſervatos*, peccatum ſcilicet, de quo dubitatur, an ſit reſervatum, habendum eſſe, ut reſervatum.

Hinc Confeſſarius dubitans in Iubilæo, an votum aliquod, puta circa materiam caſtitatis, ſit reſervatum, non poteſt illud commutare.

21. Hinc & ille, qui dubitaret, an votum ſimplicis caſtitatis emiſiſſet, deberet judicare, illud eſſe à ſe emiſſum, proindeque nec in tali caſu poſſet illud commutare Confeſſarius.

Sic igitur & mulier, quę dubitat, an continentiam voverit, non poteſt inire matrimonium: ſed

talis diſpenſationem à Pontifice petat, neceſſe eſt.

Quod ſi dubium illud ei ſuperveniat poſt contractum, conſummatumque matrimonium, debitum poteſt Marito reddere, non petere, niſi diſpenſatione ſimiliter obtentâ: adeòque Confeſſarius Jubilaris, cum illa facultatis ejus Sphæram excedant, nihil hîc agere poterit.

Nunc particulariter de Voto *ingrediendæ Religionis*.

Multùm enim diſtinguenda ſunt, vota *Religionis ingrediendæ*, & *Caſtitatis ſervandæ*: qui enim emiſit prius, ex vi voti non tenetur ad caſtitatem ſervandam, ſed ſolùm ad bonâ fide ingrediendam Religionem, & ad ſincerè probandum, an poſſit in eâ vivere, ac denique ad ibi profitendum, ſi profeſſio illi conveniat. Ac proinde ſi ille peccaret contra caſtitatem, antequam eſſet profeſſus, non propereà peccaret contra votum.

Si quis verò voviſſet ingredi Religionem, cum intentione obligandi ſeipſum ad continentiam, teneretur ſervare continentiam, emiſit enim votum caſtitatis, per conſequens ſi ante profeſſionem cum muliere carnaliter delinqueret, violaret votum caſtitatis, non quidem ſolemne, ſed ſimplex.

22. Age modò, luſtremus caſus aliquot commutationis circa votum *Religionis ingrediendæ*.

Caſus circa vota Religionis ingrediendæ.

Priùs autem hîc ſupponendum eſt, ſub voto *Religionis ingrediendæ*, quod de ſe commutari nequit, etiam intelligi votum particulare quorumdam Inſtitutorum, ſeu Religionum, ab eis poſt tria vota eſſentialia emitti ſolitum.

Itaque in Jubilæo commutari nequit votum Carthuſiani de non edendis carnibus (etiam ſecretò) in mortis alioquin ſecuturæ periculo,

mo-

modò alii non deſint cibi ad vitam ſuſtentandam.

Hinc nec commutari poteſt votum Patrum Societatis Miſſiones concernens, nec votum manendi in pignus ſub Paganorum poteſtate (quod emittunt Patres Redemptionis Captivorum) ſi hoc pro Chriſtianorum liberatione opus fuerit; nec votum Ordinis S. Franciſci de Paulâ de abſtinentiâ perpetuâ à lacticiniis; nec quodlibet aliud votum, quod alicui Religioni foret proprium.

His præfixis, expendantur nunc caſus aliqui commutationis circa materiam præmemoratam.

23. Commutari poſſunt vota Religionis ingrediendæ Ordinum Militarium, qui ſolùm ſervant caſtitatem *matrimonialem*, ut ſunt Ordines S. Jacobi, Calatravæ, Alcantaræ in Hiſpaniis, S. Stephani in ditionibus Magni Etruriæ Ducis in Italiâ, hujuſmodi enim Ordines non ſunt propriè Religiones, cum non voveant caſtitatem perfectam, ſed ſolùm conjugalem.

Cum tamen Ordo S. Joannis Hieroſolymitani, ſeu Melitenſium ſit vera Religio, utpote inter alia vovens caſtitatem perpetuam, proindèque perfectam, votum ingrediendi hunc Ordinem nequit commutari.

24. Petes, an votum ſtrictioris Religionis poſſit in Jubilæo commutari in votum laxioris?

R. Probabilius non poſſe. Veræ enim Religionis ingrediendæ diſpenſatio, & commutatio Pontifici reſervantur.

25. Dices. Hìc non diſpenſatur in voto Religionis, nec illud commutatur, quod eſt reſervatum, ſed commutatur tantùm aliqua voti circumſtantia & qualitas, manente ſcilicet ipſo *Object.*

 vo-

votô Religionis ingrediendæ.

Reſp. R. Illam circumſtantiam, ac qualitatem voți magni eſſe ponderis, & conſiderationis, adeòque veroſimilius eſſe, quòd Pontifex, cujus eſt pro viribus conſulere ſaluti ovium ſibi commiſſarum, quæ fortè in laxiori Religione periclitarentur, iſtam circumſtantiam, & qualitatem velit ſibi reſervare.

16. Quid dicendum de illo, qui vovit ingredi Religionem, ubi diſſolutè vivitur, & regula non ſervatur, poteſtne ejus votum commutari?

R. In illo caſu votum eſſe illicitum ratione materiæ, non enim licet ingredi Ordinem, in quo diſſolutè vivitur, proindè neceſſe non eſt, ut illud commutetur, ſed de ſe ruit, cum verſetur circa materiam illicitam.

Si autem talis indefinitè voviſſet, neque in intentione ſe reſtrinxiſſet ad iſtam Religionem, in quâ irregulariter vivitur, deberet ingredi aliam, nec conſequenter poſſet tunc illius votum commutari.

Caſus occurrentes circa vota pœnalia, & conditionata Caſtitatis, & Religionis ingrediendæ per aliquot concluſiones deducti.

17. Expendendum nunc eſt, an poſſint commutari vota quædam conditionata, & pœnalia Caſtitatis, ac Religionis ingrediendæ.

Priuſquam reſpondeatur, præſupponendum eſt vota, quæ videntur conditionata, eſſe in triplici differentiâ.

1. Ut figuram tantùm & ſpeciem habeant conditionatorum, cum tamen revera ſint omnino abſoluta. Exemplum ſit in eo, qui ex affectu vehementi erga Religionem vovet ſub hâc formâ: *Promitto ingredi Religionem, ſi Pater conſenſerit, ſi ad vigeſimum annum pervenero*. Hæc & ſimilia verè ſunt vota abſoluta. Nam conſenſus Patris, & ætas attacta anni vigeſimi non

ſunt

ſunt motiva, aut conditiones inducentes illius animum ad vovendam Religionem, ſed ſunt tantùm quædam circumſtantiæ ad implendum Religionis votum. Unde illa particula *ſi* æquivalet huic particulæ *quando*, & ſit ſenſus, *quando Pater meus conſenſerit*: proinde in tali caſu affectus eſt directè in ipſam rem promiſſam, dilatâ tantùm executione ad aliquod tempus, adeòque votum illud in rigore eſt abſolutum, quamvis in ſpeciem ſit conditionatum.

2. Poſſunt fieri hæc vota, ita ut revera ſint conditionata, nec ſit adjuncta commixtio alicujus pœnæ: ut ſi quis pro ſalute corporis obtinendâ (gravi morbô laborans) hoc votum emittat, *ſi Dominus me reſtituerit ſanitati, promitto caſtitatem, vel ingredi Religionem*: tale votum eſt verè conditionatum, quia is, qui vovet, tantùm habet animum ingrediendi Religionem ſuppoſito, quòd Deus ei contulerit poſtulata: itaque locô beneficii recepti, promittit Deo obſequium.

3. Poſſunt hæc vota conditionata emitti, admixtâ quâdam pœnâ, & hæc dicuntur conditionata pœnalia, ut ſi quis exoſum habens aliquod crimen, promittat Deo, *ſi tale crimen commiſero, ſi à tali ludo non abſtinuero, ſi adulterium patravero, aſſumam habitum Religionis*.

His prælibatis, ſit Concluſio prima.

28. *Vota conditionata ſecundùm ſpeciem tantùm Caſtitatis, & Religionis non poſſunt commutari.*

Probatur ex dictis. Talia enim vota ſunt reverà abſoluta, ſed vota abſoluta Caſtitatis, & Religionis nequeunt commutari, ergo præfata vota ſecundùm ſpeciem tantùm conditionata, in ſe tamen abſoluta, commutari nequeunt.

29. Concluſio ſecunda.

Vota præfata verè conditionata ſinè admixtione alicujus pœnæ antè impletam conditionem poſſunt commutari, non poſſunt verò poſt conditionem impletam.

Prima pars patet. Quia talia dependent à conditione de futuro.

Probatur ſecunda pars. Quia purificatâ conditione, obligatio voti, quæ anteà ſuſpenſa, & imperfecta erat, perficitur, & conſummatur, ac ſi de præſenti contraheretur, & transfunditur votum conditionatum in votum abſolutum, ſed votum abſolutum non poteſt commutari, ergo nec talia poſt conditionem abſolutam.

Confirmatur. Contractus ſub conditione celebrati, purificatâ conditione, eoſdem effectus ſortiuntur, ac ſi forent puri, ergo idem dicendum eſt de voto.

Certè, dum vota conditionata fiunt ſub conditione, aliquid impetrandi à Deo, initur quidam quaſi contractus cum Deo, ſcilicet, *facio, ut facias*: imo qui promittit Deo Sacrificium gratuitum, non videtur tantùm obligari Deo, quantùm ille, qui quidpiam Deo promittit (ad impetrandum beneficium) & beneficium jam impetravit. Cum ergo nunc Deus ex parte ſuâ impleverit conditionem, tenebitur etiam vovens adimplêre id, quod promiſit, proindeque illud votum eſt in Jubilæo incommutabile.

30. Concluſio tertia.

Vota pœnalia Caſtitatis, & Religionis poſt impletam conditionem, probabilius etiam videntur non poſſe commutari.

Probatur. Votum vel ingrediendæ Religionis, vel Caſtitatis, emiſſum ob crimen aliquod

de

de præſenti commiſſum eſt Pontifici reſervatum, adeòque nequit commutari, ergo etiam eſt Pontifici reſervatum, & conſequenter incommutabile, ſi emittatur ob crimen *de futuro*, ſi conditio illa adimpleatur.

Confirmatur. Licèt illud votum emiſſum ob crimen *de futuro*, ſi committatur, aſſumatur ut pœnale voventi ad vindicandam culpam, tamen, purificatâ conditione, transfunditur in votum *de præſenti*, cum expletâ conditione, perficiatur, & conſummetur, proindeque tranſit in votum abſolutum, ſed votum emiſſum ob crimen aliquod *de præſenti*, & votum abſolutum in præfatâ materiâ eſt Pontifici reſervatum, adeòque incommutabile, ergo & votum emiſſum ob crimen *de futuro*, ſi conditio illa adimpleatur, eſt Pontifici reſervatum, & conſequenter incommutabile.

Denique, hîc eſt *promiſſio Deo facta de meliori bono*: melius quippe bonum eſt & ſecundùm ſe, & in hiſce circumſtantiis votum v. g. *ingrediendæ Religionis*, ut ſic in criminum vindictam ſimul & cautêlam, animus ab omni peccandi occaſione removeatur.

31. Quid dicendum de voto disjunctivo *Caſtitatis*, vel *Peregrinationis*, ut ſi quis dicat *voveo Caſtitatem, vel Peregrinationem*, poteſtne illud commutari? *An poſſint commutari vota disjunctiva?*

R. Affirmativè. Ex disjunctivis enim alterutra pars poteſt eligi, adeòque peregrinatio, quæ eſt commutabilis: unde & votum abſolutè poterit commutari.

32. Cæterùm in commutatione votorum hæ pro praxi poſſunt obſervari regulæ. *Regulæ obſervandæ in commutation votorum.*

Prima eſt, ut votum perpetuum regulariter

ter commutetur in aliam obligationem perpetuam: commutatio enim ſonat æqualitatem rei ad rem, non quidem mathematicam, ſed proportionalem, & moralem. Sic votum jejunandi totâ vitâ ſingulis diebus Sabbathinis in honorem Deiparæ, poſſet commutari in Litanias Lauretanas iiſdem diebus in ejuſdem Matris Virginis honorem recitandas.

33. *Secunda regula*. Conſultum eſt vota realia commutare in realia, & perſonalia in perſonalia. Sic ſi quis voviſſet conſtruere Sacellum, alicui Sancto ſinè acceptatione tertii, poſſet illud votum commutari in aliquam eleëmoſynam, Eccleſiæ, vel pauperibus illius Parochiæ, in, quâ Sacellum erigendum erat, diſtribuendæ. Qui voviſſet peregrinari ad Domum Lauretanam, poſſet ejus votum commutari ad aliquot viſitationes Eccleſiarum Deiparæ in Civitate, quam incolit, conſecratarum.

34. *Sæpè* etiam poſſunt commutari vota perſonalia in realia, & realia in perſonalia, ut jejunium in eleëmoſynam, eleëmoſyna in viſitationem infirmorum.

35. In commutatione autem voti præcipuè attendendum eſt tum ad id, quod magis confert ad profectum ſpiritualem voventis, tum ad Dei obſequium, penſatis omnibus circumſtantiis.

Hinc materia maximè apta, in quam vota commutentur, univerſim eſt frequens uſus Sacramenti pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, cum hæc maximè conferant ad profectum ſpiritualem voventis, adeòque & ad majus Dei obſequium.

Eſt etiam apta materia præter jejunium, & eleëmoſynam oratio, maximè recitatio Roſarii, lectio librorum Aſceticorum, & alia hujuſmodi,

36.

36. Porro commutatione voti in aliam materiam ſemel factâ, non reviviſcit prioris materiæ obligatio, licèt vovens ad implendam hanc commutationem impotens fiat. Ut ſi ille, cujus votum de conſtruendo Sacello, commutatum fuiſſet in eleëmoſynam ſecundùm circumſtantias voventis, poſteà ne quidem has præ improviſo paupertatis caſu erogare poſſet: ſi ille, cujus votum de peregrinatione ad Domum Lauretanam fuiſſet commutatum in viſitationes Eccleſiarum Deiparæ ſacrarum, præ podagrâ continuâ foret lecto affixus.

37. At quid ſi Petrus cum animo implendi omnia opera Jubilæi, impetret voti commutationem, & deinde non impleat opera injuncta, reviviſcuntne in illo vota?

R. Negativè. Vota enim abſolutè, & ſinè reſtrictione fuerunt commutata; ſic & quæſtione præcedenti num. 16. vidimus, non reviviſcere cenſuras, quamvis opera Jubilæi non fuiſſent ad executionem redacta.

38. Pro praxi hâc in materiâ ſeriò advertendum eſt, quòd quamvis Confeſſarii nequeant commutare in Jubilæo vota abſoluta Caſtitatis, & Religionis, multò minùs in illis diſpenſare, poſſint tamen in foro conſcientiæ abſolvere pœnitentes ab omnibus tranſgreſſionibus votorum, etiam ſolemnium, cum ab omnibus caſibus etiam graviſſimis, & maximè enormibus, ac cenſuris poſſint abſolvere.

39. Qui voto ſimplici *Caſtitatis*, vel *Religionis ingredienda* adſtricti ſunt, ſacram adeant Pœnitentiariam pro diſpenſatione, vel commutatione eorum, huic enim Pontifex poteſtatem illam commiſit.

40. Quia verò multi non interſunt Anno Sancto, & plures Confeſſarii, præſertim extra Italiam modum ignorant ſcribendi Pœnitentiariæ Romanæ, idcirco juvat hîc, ut citiùs saluti animarum conſulatur, methodum ſubnectere petendi præfatam diſpenſationem, vel commutationem à Pœnitentiariâ ſacrâ.

Praxis ſcribendi ſacræ Pœnitentiariæ pro diſpenſatione, & commutatione votorum.

Scribant Confeſſarii, ſeu pœnitentes caſum omnibus circumſtantiis ſeu *Caſtitatis ſimpliciter*, ſeu *Religionis ingrediendæ* imbutum, quôcumque charactere, dummodò legi poſſit ſive latinâ, ſive aliô, quocumque idiomate propriæ Nationis; nam ſacra Pœnitentiaria ſuos ex quâcumque Regione Pœnitentiarios ſibi ſubordinatos habet, qui caſum explanent. Nomen pœnitentis exponatur per ſimplex N.

Caſus mittatur directè per poſtam, ſeu Curſorem publicum *Romam*, majori Pœnitentiario in hunc modum inſcriptâ Epiſtolâ.

Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino, Dominô NN. Cardinali majori Pœnitentiario.

HIc ſanè pro ſuâ tum humanitate, tum charitate brevì jubebit literas diſpenſatorias expediri, & mitti Confeſſario pœnitentis. Ad illos enim literæ Pœnitentiariæ diſpenſativæ ordinariè diriguntur.

Cæterùm Confeſſarii, vel Pœnitentes in literis ad Cardinalem majorem Pœnitentiarium Romam miſſis ei ſignificent, quomodò, & quâ viâ reſponſum mittendum ſit per poſtam, terminando literas Eminentiſſimo Domino ſcriptas in hunc modum.

Di-

Dignetur Eminentia Veſtra reſcribere N. (& exprimatur nomen, & cognomen Confeſſarii, cui debet reſcribi) *in Civitate* N. quæ etiam debet exprimi. Datum *Bruxellis*, *Lovanii*, *Viennæ*, aut aliis in locis. Adjungi debet data diei, menſis, & anni.

Sic autem caſus proponetur.

Eminentiſſime, & Reverendiſſime Domine;

N. Mulier emiſit votum Caſtitatis perpetuæ, „ ſed cum adſit periculum incontinentiæ, „ humillimè ſupplicat pro diſpenſatione ad effe- „ ctum nubendi. „

Vel ſic. „

N. Emiſit votum Caſtitatis perpetuæ, ſed „ carnis illecebris ſuccumbens uxorem ad præſens „ viventem duxit. De hujuſmodi autem tranſgreſ- „ ſione dolet, & ut pro conſcientiæ ſuæ ſecurita- „ te ſecum deſuper diſpenſetur, debitumque con- „ jugale licitè exigere poſſit, enixè flagitat. „

Quòd ſi fortè tardaverit reſponſum Eminentiſſimi Domini majoris Pœnitentiarii, tunc poterunt Confeſſarii, ſeu pœnitentes rurſus ei ſcribere, ut ſi forſan prima fuerit deperdita epiſtola, altera ad manus ejus perveniat, & ſic animæ ex faucibus Orci eruantur.

Forma Diſpenſationis Sacræ Pœnitentiariæ.

41. Foris ſic inſcribitur Epiſtola. *Diſcreto viro Confeſſori* N. *Forma Diſpenſationis ſacræ Pœnitentiariæ.*

Intus verò ſic incipit Epiſtola diſpenſativa.

N. *Miſeratione Divinâ S.R.E. Presbyter Cardinalis, diſcreto viro ex approbatis ab Ordinario per lato-*

Latorem præſentium ad infraſcripta ſpecialiter eligendo, ſalutem in Domino.

Nota, juxta ſtylum Romanæ Curiæ *Lator*, ſeu Latrix, vel Orator, dicitur pœnitens, ſeu ſubjectum petitionis.

Ex parte latricis præſentium nobis &c. continebat, quòd ipſa emiſiſſet votum Caſtitatis perpetuæ. Sed cum adſit periculum incontinentiæ, & humillimè nobis ſupplicaverit pro diſpenſatione ad effectum nubendi: ideò pro ſuæ conſcientiæ quiete, diſcretioni tuæ committimus, quatenùs ſi eſt ita, dictam latricem, auditâ prius ejus Sacramentali confeſſione, matrimonium inire, & debitum conjugale reddere, & petere poſſe de.lares &c. Quòd ſi tamen Marito ſupervixerit, eôdem voto teneatur, ut priùs, obligata, & ſi extra matrimonium interim fornicata fuerit, ſciat ſe contra votum hujuſmodi facturam, & ita illam moneas. Datum Romæ &c.

In ſecundo caſu adduntur hæ particulæ.... *Diſcretioni tuæ committimus, quatenus ſi ita eſt, dictum Latorem, audita priùs ejus Sacramentali Confeſſione, à tranſgreſſione hujuſmodi abſolvas, injunctâ ei pro modo culpæ pœnitentiâ ſalutari.*

In harum literarum executione Confeſſarius debet reflectere ad ſequentes clauſulas.

Variæ particulæ diſpenſationis explicantur.

Prima eſt in his verbis: *quatenus ſi ita eſt*, per quæ verba injungitur Confeſſario, ut perquirat, an reverà in latrice ſit periculum incontinentiæ, quâ in re ipſi credendum eſt. Quare in hoc non eſt multùm laborandum.

Obſervandum eſt verò generaliter, haſce particulas, *ſi ita eſt*, aut *ſi preces veritate nitantur*, in omnibus continêri quibuslibet diſpenſationibus, illaſque eſſe nullas, ſi *ita* reverà non ſit,

aut

aut preces *veritate* non nitantur.

Secunda clauſula eſt in hiſce verbis. *Si Marito ſupervixerit, eôdem votô teneatur, ut priùs, obligata*. Hinc Confeſſarius, debet admonêre pœnitentem, quòd, ſi contingat maritum ipſius mori, & ipſa ſupervivat, eidem voto ſit futura adſtricta, ita ut aliud Matrimonium contrahere non poſſit ſinè novâ diſpenſatione.

Quâ in re falluntur nonnulli, exiſtimantes diſpenſationem in voto Caſtitatis ad effectum nubendi, à Pontifice ordinariè conferri *pro ſemper*, ſeu *in perpetuum*.

Illud idem advertendum eſt in ſecundo caſu, in quo quiſpiam contra votum caſtitatis uxorem duxit, & qui nunc petit à Pontifice, ut ſecum deſuper diſpenſetur, & ut debitum conjugale licitè poſſit exigere, diſpenſationem huic etiam tantùm dari *pro tempore*, durante nimirùm matrimoniô: unde ille extinctâ conjuge, tenetur ſervare caſtitatem, adeòque ad ſecundas ſinè novâ diſpenſatione non poteſt tranſvolare nuptias.

Tertia clauſula eſt in illis verbis. *Si extra Matrimonium interim fornicata fuerit, ſciat ſe contra votum hujuſmodi facturam*. Per quæ inſinuatur, quòd etſi uſum Matrimonii liberum habeat, illa tamen peccet contra votum, ſi ab alio, quàm à marito cognoſcatur, proindeque non tantùm committat peccatum Adulterii, ſed & Sacrilegii. Poſt mortem Mariti, fornicando, tantùm erit rea Sacrilegii.

His præmiſſis, & peractis, poſt abſolutionem datam à peccatis, dicat Confeſſarius.

Item authoritate Apoſtolica mihi ſpecialiter delegata, te non obſtante voto caſtitatis, quod emiſiſti, matrimonium contrahere poſſe declaro, &

ut

ut debitum conjugale etiam exigere licitè poſſis, & valeas, tecum eadem authoritate diſpenſo. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

In ſecundo caſu, ubi non obſtante voto caſtitatis, matrimonium eſt contractum, dicitur, *& te non obſtante votô Caſtitatis, in matrimonio remanêre poſſe, declaro &c.*

42. Eadem methodus obſervanda eſt in diſpenſatione voti *Religionis*.

In eâ hæc quoque verba (ſive diſpenſatio petatur ante, vel poſt Matrimonium) ordinariè continentur: ſcilicet *ſi N. uxori ſupervixerit, eôdem votô teneatur, ut priùs, obligatus*.

Itaque per illa verba mandat major Pœnitentiarius Confeſſario, ut moneat pœnitentem de obligatione, quæ ei reſtat adimplendi ſui voti *quoad ingreſſum Religionis*, ſi alteri parti ſupervixerit.

Attamen Confeſſarius poterit admonêre pœnitentem, ut ſi ſupervivendo conjugi tunc continenter vivere non poſſit, vel educatio filiorum, aut alia gravis cauſa exigat, ut votum præfatum adimplêre nequeat, iterum recurrat ad ſacram Pœnitentiariam, quatenus obligatio hujuſmodi voti in alia pœnitentiæ opera ei commutetur, vel cum eo rurſus diſpenſetur.

His præmiſſis, & peractis, poſt abſolutionem ſolitam à peccatis, dicat Confeſſarius.

Et authoritate Apoſtolica mihi ſpecialiter delegata, te, non obſtante voto Religionis, quod aliàs emiſiſti, Matrimonium contrahere poſſe declaro, & ut debitum conjugale etiam exigere licitè poſſis, & valeas, tecum eadem authoritate diſpenſo. In nomine Patris &c.

Quòd ſi contractum ſit Matrimonium: dicitur,

tur, *te, non obſtante voto Religionis, in Matrimonio remanêre poſſe declaro &c.*

43. Sed ſupponamus, quòd ille, qui emiſerat votum *Religionis ingrediendæ*, emiſiſſet *SIMUL votum Caſtitatis*, tunc ille, ut vel primas, vel ſecundas ineat nuptias, v. g. ob incontinentiæ periculum, aut educationem prolium, aut utrumque ſimul, debebit petere à Sacrâ Pœnitentiariâ, ſeu diſpenſationem in utroque voto *ingrediendæ* ſcilicet *Religionis*, & ſimul *Caſtitatis*, vel commutationem utriuſque in opera pia. *Commutatio votorum Religionis, & Caſtitatis.*

Formula autem commutationis voti, vel votorum, poſt ſolitam abſolutionem hæc erit.

Item authoritate Apoſtolica mihi ſpecialiter delegata, tibi vota Religionis, & Caſtitatis (vel votum Religionis, aut Caſtitatis) *quæ*, vel *quod emiſiſti ad effectum, ut Matrimonium legitimè contrahere, & in eo debitum conjugale exigere licitè poſſis, & valeas, in opera pietatis, quæ tibi* (juxta formulam commutationis Pontificiæ) *præſcripſi, diſpenſando commuto, in nomine Patris &c.*

Quòd ſi uxor vel in primis, vel ſecundis nuptiis moriatur, vota ſervabuntur, ut priùs: ita ut talis teneatur ſervare Caſtitatem, & Religionem ingredi, vel unum ex his ſervare diſjunctivè juxta id, quod vovit, niſi iterum vel vota commutentur, vel cum eo in illis diſpenſetur. Hæc pro praxi. Unde nunquam cum aliquo in utroque voto ſimul, aut disjunctim in perpetuum ſolet diſpenſari.

44. Quantùm ad vota trium Peregrinationum, quæ extra Iubilæum, vel extraordinarium, vel *Anni Sancti* ſunt reſervata Pontifici, dum illa à Sede Apoſtolica per ſacram Pœnitentiariam *Commutatio votorum Peregrinationū.*

commutantur, poſt ſolitam abſolutionem à peccatis, dicet Confeſſarius.

Item authoritate Apoſtolica mihi ſpecialiter delegata tibi votum Peregrinationis, quod emiſiſti, in peregrinationem, eleëmoſynam, ſeu alia pietatis opera, quæ tibi præſcripſi, diſpenſando commuto. In nomine Patris &c.

Hinc ſolent talia vota commutanda committi à Pontifice arbitrio prudentis Confeſſarii, ut v. g. commutentur in faciliorem peregrinationem, eleëmoſynam, pœnitentiam, aut in alia pietatis opera, prout ſecundùm Deum, conſideratis ætate, ſexu, conditione voventis Confeſſarius expedire judicaverit,

Eadem circa commutationem votorum Peregrinationum in Iubilæis à Confeſſariis in praxi advertenda ſunt.

Conſiderandum verò eſt, quòd nunquam à Confeſſariis Jubilaribus adhiberi queant hæc verba *DISPENSANDO commuto.*

Adhibentur autem ex parte Pontificiæ facultatis, (quæ utrâque gaudet poteſtate diſpenſandi, & commutandi) præfata verba, *diſpenſando commuto*; ut diſpenſatio ſuppleat defectum, ſi quis forſan committeretur in aſſignando in commutatione novam voti materiam.

Huic Quæſtioni ſubjicitur famoſa expreſſio gratiarum data per Clementem X occaſione Iubilæi Anni Sancti 1675. cui ſe conformavit Innocentius XII. Annô Iubilæi 1700.

Gaſpar Titul. Sancti Sylveſtri in Capite S.R.E. Presbyter Cardinalis Carpineus SS. D.N. Papæ Clementis X. Vicarius Generalis.

„ 1. CUm Sanctitas Domini noſtri, prout nobis vivæ vocis oraculô mandavit, cupiat magis dilatari gratias conceſſas omnibus illis, qui convenerunt, veniuntque Romam, conſecuturi pleniſſimum Iubilæum hujus Anni Sancti, mandavit nobis exponere infraſcriptas conceſſiones, declarando etiam illa, quæ in dubio erant, aut vocabantur, non ſinè fidelium turbatione, & ſcrupulis conſcientiarum; quarum paci, & quieti conſulturus Summus Pontifex hæc ſtatuit. *Expreſſio gratiarum data per Clementem X. occaſione Iubilæi annô 1675.*

„ Ut itaque Confeſſarii, & operarii multiplicentur ad majorem commoditatem, & conſolationem fidelium utriuſque ſexûs, in omni plenitudine paternæ charitatis concedit amplam facultatem Pœnitentiariis Baſilicarum D. Petri, S. Pauli, S. Ioannis Lateranenſis, & S. Mariæ Majoris, ſive illi ſint ex numero ante hac eſſe ſolito, ſive ex jam aucto, & deinceps augendo. Ad hæc eadem facultas datur Parochis tam ſæcularibus, quàm Regularibus omnium Parochiarum Romę (durante tamen Iubilæô Anni Sancti) abſolvendi, videlicet in ordine ad lucrandum præſens Iubilæum, fideles ab omnibus ſententiis, & cenſuris Eccleſiaſticis contra illos pronunciatis, & fulminatis à ſacris Canonibus, aut Iudicibus quâcumque de causâ, & ab omnibus peccatis, & exceſſibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam à ca-

„ ſibus reſervatis non ſolùm ab Epiſcopis, aut
„ aliàs à Prælatis inferioribus, verùm etiam
„ à Pontifice ipſo, & à Sede Apoſtolicâ, etiam
„ in Bullâ Cœnæ Domini, & in aliis quibuſcum-
„ que Conſtitutionibus Summorum Pontificum,
„ in foro conſcientiæ tantùm: ut tamen Sua
„ Sanctitas declaret ſe non intelligere, aut diſ-
„ penſare, nec dare facultatem diſpenſandi,
„ aut rehabilitandi, & in priſtinum ſtatum reſti-
„ tuendi, quæ ad irregularitatem publicam,
„ aut occultam, vel notam, defectum, inca-
„ pacitatem, & inhabilitatem quomodocumque
„ contractam, ſpectant, ne quidem in foro
„ conſcientiæ. Neque vult Sua Sanctitas, ut
„ præſens facultas illis ſuffragetur, qui à Sum-
„ mo Pontifice, aut Iudicibus Apoſtolicis, vel
„ aliis Eccleſiaſticis excommunicati, ſuſpenſi,
„ vel interdicti ſunt declarati, vel publicè de-
„ nuntiati ob ſententias, & cenſuras Eccleſia-
„ ſticas, quas incurrerunt. Adeò ut iſti omnes
„ abſolvi non poſſint, niſi priùs ſatisfecerint,
„ aut obediverint, & partes ſibi contrarias pa-
„ cificas ante reddiderint. Deinde iidem Pœ-
„ nitentiarii, & Parochi durante hôc annô Iu-
„ bilæi Sancto commutare poſſunt omnia vota
„ (exceptis Caſtitatis, & Religionis) in alia
„ opera pia, imponendo nihilominùs hiſce fide-
„ libus, & quibuſcumque aliis pœnitentiam ſa-
„ lutarem, & alia opera pia, quæ iidem Con-
„ feſſarii præſcribent.

„ 2. Concedit pariter Sua Sanctitas Confeſſa-
„ riis Religioſis cujuſcumque Ordinis, Congre-
„ gationis, & Inſtituti, qui à nobis, vel à no-
„ ſtro Viceſgerente ſunt approbati, aut dein-
„ ceps approbabuntur, eandem facultatem pau-

„ lò

„ Iò antè explicatam abſolvendi à cenſuris, & „ caſibus reſervatis, commutandi vota, modò „ ea non ſint ſubſtantialia Religionum, Ordi- „ num, Inſtitutorum: imo & Religioſis Confeſ- „ ſariis eadem datur facultas reſpectu ſui Ordi- „ nis: & illis æquè, qui modò Romæ verſan- „ tur, quàm illis, qui hùc ſunt venturi hôc An- „ nô Sanctô, ad quem ſe extendit tantùm hæc „ facultas.

„ 3. Ut etiam facilitetur iiſdem Religioſis „ conſecutio Anni Sancti, & Iubilæi, tantique „ theſauri ſpiritualium gratiarum, & ut illi ſuô „ exemplô populum ædificent, compareantque „ debito cum decore, qui decet perſonas Deo „ dicatas; ſignificatur eiſdem, Suam Sanctitatem „ contentam eſſe, ut illi viſitent quatuor aſſi- „ gnatas Eccleſias ter tribus diebus continuis, „ aut interpolatis, unà ſimul, aut quoad majo- „ rem partem euntes, & incedentes reſpectu „ eorum, qui in eodem Conventu, aut Domi- „ cilio verſentur, & ſic conſequantur Sanctiſſi- „ mum Jubilæum, ac ſi viſitaſſent eaſdem Ec- „ cleſias triginta vicibus, aut diebus; ut tamen „ obſerventur cætera, quæ in Bullâ Jubilæi con- „ tinentur, hortamur & nos eoſdem Religioſos „ in Domino, ut incedant ſervatô Ordine, quàm „ modeſtiſſimè, recitantes Pſalmos, vel alias „ preces, & laudes divinas decantantes.

„ 4. Idem indultum, ut viſitentur tamen qua- „ tuor diebus continuis, aut interpolatis eædem „ Eccleſiæ, concedit Summus Pontifex etiam „ Alumnis, & Convictoribus juvenibus, qui „ operam dant ſcientiis, & liberalibus artibus, „ & vivunt in eodem Convictu; modò & illi „ eant ſaltem, quoad mediam partem, quos co-

 „ mi-

„ mitabitur Præfectus, aut Rector, vel alii, „ qui eiſdem præſunt, ut eadem gratia fiat eiſ- „ dem Præfectis, Magiſtris, & famulis: mo- „ nentur tamen hi omnes, ut ſervent modeſtiam, „ & ordinem intereundum, orantes, vel pium „ quid tractantes: Regulares verò aliundè hùc „ profecti ad lucrandum Jubilæum Sanctum, ſi „ voluerint ſe conjungere aliis ſuæ Religionis, „ habebunt eandem facultatem, & lucrabuntur „ Indulgentias, ſi eòdem modò ter viſitaverint „ Eccleſias ſupradictô modô; ſi verò non poſſent „ expectare aliorum commoditatem, aut adve- „ nirent, cum alii lucrati ſunt Indulgentias, „ concedit Sua Sanctitas, ut illi quinquies viſi- „ tando Eccleſias, per quinque continuos, aut „ interpolatos dies lucrentur eaſdem Indulgen- „ tias, quas fuiſſent lucrati viſitando per quin- „ decim dies eaſdem Eccleſias, prout Bulla præ- „ ſcribit. Conceditur etiam Congregationibus, „ & Confraternitatibus, quæ aliundè hùc ve- „ nerunt, ut ſimul ſemel viſitando Eccleſias, & „ bis ſeparatim fratres, aut ſorores ſatisfaciant „ viſitationibus præſcriptis in Bullâ, ac ſi quin- „ decies viſitaſſent.

„ 5. Et cum maximè Sua Sanctitas ſecundùm „ viſcera paterna compatiatur paupertati, ac „ multiplicibus miſeriis advenarum, eorumque „ plurimorum, qui non habent, unde ſe tam- „ diù alant, vel neque ſufferre poſſunt moleſtias „ tot viſitationum intra quindecim dies, remit- „ tit arbitrio, diſcreto tamen, & prudenti di- „ ctorum Pœnitentiariorum, & Parochorum, „ ut cuivis diſpenſent juxta cujuſvis pœnitentis „ indigentiam, & poſſibilitatem in aſſignando „ numero viſitandarum Eccleſiarum, dando eiſ-

dem

„ dem omnem facultatem circa id neceſſariam,
„ & opportunam. Eôdem modô, ne Cives,
„ & incolæ Romani, qui inceperunt viſitare Ec-
„ cleſias, ſed morbô impediuntur proſequi pium
„ ſuum opus, priventur fructu laborum in-
„ choatorum, & piæ intentionis, quâ aggreſ-
„ ſi ſunt opus, ne affligantur corpore, & ani-
„ mô, concedit iiſdem Pœnitentiariis, & Pa-
„ rochis facultatem eis commutandi opera in-
„ juncta viſitandarum Eccleſiarum per triginta
„ dies, in alia, quæ viderint eſſe proportiona-
„ ta poſſibilitati dictorum Civium, & incolarum
„ infirmorum. Quòd ſi repentè mors immineat,
„ antequam obtineant hanc commutationem,
„ concedit illis Sua Sanctitas Jubilæum, ac ſi
„ omnia opera neceſſaria expleviſſent.

„ 6. Ut etiam finaliter tollatur omnis ambi-
„ guitas, & ut fideles ſint certi de Indulgentiis,
„ quas poſſunt lucrari, declaramus unà cum
„ Oraculo Suæ Sanctitatis, ut ſupra inſinuatum
„ eſt, quòd in ſuſpenſione generali Indulgentia-
„ rum, quæ continetur in Bullâ datâ 5. Maji
„ 1674. publicatâ verò 17. Septembris ejuſdem
„ Anni, non intelligantur ſuſpenſæ Indulgen-
„ tiæ Altarium Privilegiatorum pro Defunctis,
„ neque aliæ conceſſæ eôdem modô pro Defun-
„ ctis; verùm illæ ſuſpenſæ habeantur, quas
„ poſſunt ſibi conſequi vivi, ut eas poſſint con-
„ cedere animabus Purgatorii per modum ſuffra-
„ gii: nec minùs ceſſent Indulgentiæ conceſſæ in
„ articulo mortis, & facultates communicãdi eas
„ aliis. Sicut nec ceſſant modò facultates San-
„ ctæ Inquiſitionis, & Officialium ejuſdem, aut
„ Miſſionariorum, & Miniſtrorum, qui ab eo-
„ dem Tribunali, vel à Congregatione Propa-

„ gandæ Fidei, vel cum authoritate Apoſtoli-
„ câ ad id ſunt deputati; & ſpecialiter faculta-
„ tes abſolvendi ab hæreſi illos, qui abjuratô er-
„ rore redduntur capaces earum gratiarum.

„ 7. Ut autem conſervetur pium inſtitutum,
„ & conſuetudo viſitandi templa, in quibus ce-
„ lebratur comprecatio quadraginta horarum,
„ & præcipua Sanctuaria colendi hâc in Urbe,
„ concedit Sua Sanctitas, non obſtante eâ ge-
„ nerali Indulgentiarum ſuſpenſione, ut Indul-
„ gentias ſolitas conſequi poſſint Fideles utriuſ-
„ que ſexûs, quas aliàs conſequebantur, ſi viſi-
„ tent ſeptem Eccleſias, & Scalam Sanctam die-
„ bus determinatis, eô enim modô, & his cum
„ conditionibus, quibus illæ fuerunt conceſſæ,
„ eaſdem lucrantur Indulgentias.

„ Quivis inſuper, qui viſitat templa, ubi
„ habetur expoſitum Venerabile, & eſt compre-
„ catio quadraginta horarum circularium, &
„ ordinariarum, ita ut ibidem aliquo tempore
„ inter preces detineatur, prout illi videbitur,
„ confeſſione prius, & ſacrâ communione pera-
„ ctis, aut ſaltem conceptô firmô propoſitô con-
„ fitendi, lucrabitur is ſeptem annorum Indul-
„ gentias, & totidem Quarantenas, toties,
„ quoties id præſtiterit.

„ Datum Romæ ex ædibus noſtris die 1. Fe-
„ bruarii 1675. Jubilæi.

G. Cardinalis Vicarius.

QUÆ-

QUÆSTIO XII.

De reliquis dubiis materiam de Indulgentiis concernentibus.

Facultas commutandi vota &c. data quibuſdam feſtis Ordini Prædicatorũ.

1. TAnta eſt Eccleſiæ erga fideles benignitas, ut facultatem commutandi vota, & abſolvendi à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ac à quibuſcumque cenſuris, non ad Jubilæa *Anni Sancti*, & *duarum beddomadarum* Pontifex coarctarit, ſed etiam nonnullis extra illa tempora perample conceſſerit.

Tales ſunt Confeſſarii Ordinis Prædicatorum, quibus datum eſt privilegium, quô omnes Confratres, & Conſorores Roſarii in Paſchate Reſurrectionis, & feſtis Deiparæ, ſcilicet Annuntiationis, Viſitationis, Aſſumptionis, Nativitatis, & Purificationis, ac tribus diebus ea feſta præcedentibus, ab omnibus cenſuris quâvis occaſione latis, & criminibus quantumcumque enormibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis caſibus, in Bullâ Cœnæ duntaxat exceptis, poſſint abſolvere, ac juramenta eorum quæcumque citra præjudicium tertii relaxare; & vota omnia in alia pietatis opera commutare queant, demptis quinque Papæ reſervatis, ut ſunt vota Religionis, Caſtitatis perpetuæ, Peregrinationis in Jeruſalem, ad S. Jacobum in Urbe Compoſtellanâ, & ad limina Apoſtolorum.

Nonnulli caſus circa relaxationem juramenti in illis feſtis.

2. Ex hiſce verbis, *juramenta eorum quæcumque citra præjudicium tertii relaxare*; infertur primo, à præfatis Patribus in præcitatis feſtis non poſſe relaxari juramentum, v. g. Petri, qui juraſſet Paulo ſe ei ſerviturum, pecuniam, aut veſtem

ſtem daturum. Relaxatio enim hujuſmodi juramenti cederet in præjudicium tertii.

Poſſet tamen relaxari juramentum homini factum, ſi contineat quidpiam illicitum, vel ex parte jurantis, vel ex parte ejus, cui quis jurat: ut ſi ſit juramentum de ſolvendis uſuris: ſi juramentum ſit dolô, metu, aut vi extortum: veluti ſi latro promiſſionem ingentis ſummæ pecuniariæ alicui in ſylvâ ſub juramento extorſiſſet.

Infertur ſecundò, poſſe ab eis relaxari juramentum, quod cedit in honorem Dei, & non in utilitatem alterius: ut ſi quis juraſſet, ſe ſervaturum abſtinentiam à certo genere cibi, à vino, & id genus aliis, ſe geſtaturum cilicium, aliave pietatis opera præſtiturum.

Illud verò hîc generaliter advertendum eſt, illa juramenta poſſe ab iiſdem relaxari, quorum objecta, ſi voverentur, poſſent in alia opera commutare. Unde illa omnia juramenta ſunt Papæ reſervata, adeòque ab illis Patribus non relaxabilia, quorum materia ſi voveretur, vota eſſent ei reſervata.

Hinc relaxare non poſſent juramenta illorum, qui juraſſent unam ex tribus famoſis prææallegatis Peregrinationibus, vel ingreſſum Religionis, aut obſervantiam caſtitatis.

3. Quid dicendum de Indulgentiis Roſarii tantopere celebratis, eſtne iis aliquô pactô derogatum occaſione propoſitionis hujus ab Alexandro VII. confixæ. *Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodiè ſunt revalidatæ?*

R. Negativè. Indulgentiæ enim Roſarianæ per ipſum Paulum V. illico ſuo ſtatui reſtitutæ ſunt.

His

His accedit quàm maximè confirmatio Indulgentiarum Sanctiſſimi Roſarii Summariô ſtatim pandendô contentarum conceſſa Ordini noſtro ab Innocentio XI. 31. Julii an. 1679. dum illius habenas moderaretur Reverendiſſimus Pater *Antonius de Monroy*, poſteà Illuſtriſſimus Archipræſul Compoſtellanus.

Indulgentiæ peramplæ Sanctiſſ. Roſarii confirmatæ ab Innocentio XI.

Summarium illud Indulgentiarum hujus eſt tenoris.

„ Primò ſciendum, à multis Summis Pontifi-
„ cibus reſpectivè fuiſſe confirmatas Indulgen-
„ tias, & gratias ab eorum Anteceſſoribus be-
„ nignè elargitas Confratribus, & Consororibus Sanctiſſimi Roſarii, nimirùm à Leone X.
„ in Bullâ, quæ incipit. *Paſtoris æterni*, die 6.
„ Octobris 1520. à Clemente Septimo in brevi,
„ *etſi temporalium* die 8. Maji 1534. à Julio Ter-
„ tio in Brevi, *ſinceræ devotionis*, 24. Auguſti
„ 1551. à Pio Quinto (nunc inter Sanctos rela-
„ to) in Brevi, *inter deſiderabilia*, ac in Brevi
„ *conſueverunt*, die 17. Septembris 1569. dein-
„ de cum omni amplitudine confirmatas, & in-
„ novatas à Sixto Quinto in Brevi, quod incipit;
„ *dum ineffabilia* 30. Januarii 1586. denique etiam
„ Paulus Quintus in Brevi, *cum olim*, die 20.
„ Septembris 1608. revocatô ſuô brevi revoca-
„ toriô Indulgentiarum antiquarum Sanctiſſimi
„ Roſarii, priſtino ſtatui reſtituit eaſdem Indul-
„ gentias à Summis Pontificibus ſuis Prædeceſſo-
„ ribus conceſſas Confraternitatibus Sanctiſſimi
„ Roſarii canonicè inſtitutis, ubique locorum
„ exiſtentibus.

„ Secundò; omnes Indulgentias ſpeciali-
„ ter, vel generaliter, aut quôcumque modô
„ uni, vel pluribus Confraternitatibus Sanctiſ-

„ ſimi

„ ſimi Roſarii impertitas, communes eſſe omni-
„ bus Confraternitatibus Sanctiſſimi Roſarii uni-
„ verſi Orbis. Hoc indulſit Gregorius XIII. in
„ brevi incipiente, *Paſtoris æterni*, 5. Maji
„ 1581. pro Confraternitatibus canonicè electis.
„ Et Sixtus V. in præfato brevi, *dum ineffabilia*,
„ omnia privilegia, indulta, facultates, exem-
„ ptiones, immunitates, conceſſiones, Indul-
„ gentias, etiam plenarias à Summis Pontifici-
„ bus conceſſa, & conceſſas Confraternitati-
„ bus, aut Confratribus Sanctiſſimi Roſarii ex-
„ tendit, & ampliat in perpetuum ad Confra-
„ ternitates erigendas, illarumque Confratres,
„ & Conſorores pro tempore exiſtentes.

Recenſitis deinde Indulgentiis plenariis, pro iis, qui Confraternitati Sanctiſs. Roſarii inſcribuntur, pro recitantibus Roſarium (integrum) per hebdomadam, pro illis, qui quâlibet primâ Dominicâ menſis, & feſtis Deiparæ confeſſi, & ſacrâ Communione refecti fuerint, pro exiſtentibus in articulo mortis, pro viſitantibus quinque altaria (qui tantùm lucrantur, ac ſi omnes Almæ Urbis Stationes peregrinando circumirent,) extenſis deinde Indulgentiis illis ad itinerantes, & ad infirmos confitendi, & communicandi firmum propoſitum habentes, qui Eccleſias viſitare non potuerint iis diebus, quibus feſta Myſteriorum Roſarii celebrantur, tandem ſic concludit Pontifex.

„ Cum dictus Antonius Magiſter Generalis
„ Summarium hujuſmodi (Indulgentiarum) quò
„ firmiùs ſubſiſtat, Apoſtolicæ confirmationis
„ noſtræ patrocinio communiri deſideret: Nos
„ ipſius Antonii Magiſtri Generalis votis hâc in
„ re, quantùm cum Domino poſſumus, favora-
„ bili-

„ biliter annuere volentes, ſupplicationibus
„ ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porre-
„ ctis inclinati, præinſertum Summarium Indul-
„ gentiarum, & gratiarum ſpiritualium, omnia-
„ que, & ſingula in eo contenta authoritate
„ Apoſtolicâ tenore præſentium approbamus,
„ & confirmamus, illique inviolabilis Apoſto-
„ licæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, &
„ ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſu-
„ per quomodolibet intervenerint, ſupplemus.

Vide Confirmationem præfatam Romæ impreſſam, eôdem annô 1679. Typis Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ, ubi fusè deducuntur, quæ hîc tantùm obiter perſtricta ſunt, ne cauſam potiùs Ordinis, quàm materiam, ſeu ſubjectum hujus Opuſculi tractare videremur.

4. Diſcutiamus modò hos caſus ſequentes. *Caſus circa aliam materiam.*

Pontifex concedit Indulgentias plenarias pro ſeptennio *pro Defunctis, dum Sacerdos alicujus Monaſterii celebrat Miſſam ad Altare Beatæ Virginis, modò in Eccleſiâ iſtius Monaſterii quotidiè celebrentur ſeptem Miſſæ. Quid ſi igitur aliquandò pauciores Miſſæ ibi celebrentur, peritne tunc, vel ceſſat, aut pro illo anno, aut pro toto ſeptennio, pro quo datæ ſunt illæ Indulgentiæ, privilegium illud Indulgentiarum?*

R. Si ordinariè, & quaſi ſemper ibidem *ſeptem* Miſſæ celebrentur, etſi fortè per accidens ſemel, aut bis in anno pauciores fiant, tunc in iſto caſu probabiliùs non perire, vel ceſſare privilegium illud Indulgentiarum aut pro iſtô annô, aut pro totô ſeptenniô. Tenor enim Bullæ, quod *quotidie* ſeptem Miſſæ in iſtâ Eccleſiâ celebrari debeant, *moraliter*, id eſt, ordinariè loquendo, intelligendus eſt.

Di-

Dixi, *etſi fortè per accidens* SEMEL, AUT BIS in anno pauciores fiant: non enim hîc computandi ſunt tres illi dies, quibus juxta laudatam conſuetudinem à plurium celebratione Miſſarum abſtinetur, ſcilicet feria 5. Cœnæ Domini, in quâ Sacerdotes communicant ex manu Prælati, feria 6. Paraſceves, ubi nullus celebrat, & Sabbathum Sanctum, quô tantùm unus celebrat. Si igitur extra illos tres dies ſemel, aut bis pauciores Miſſæ dicantur, unô v. g. Sacerdote defunctô, aut graviter ægrotante, aut aliam ob cauſam improviſam legitimè impeditô, non peribit, vel ceſſabit privilegium illud, hoc enim eſt merè per accidens. Alioquin; ad literam tenor Bullæ de celebrandis *quotidiè* ſeptem Miſſis (Indulgentiæ enim *tantùm valent*, *quantùm ſonant*) obſervandus eſt. Sicut igitur ad literam obſervandus eſt numerus viſitationum Eccleſiarum vel *Romano*, vel *Extraneo* reſpectivè præſcriptus, & tamen hoc non obſtante, ob impedimentum aliquod, puta infirmitatis ſupervenientis ille poteſt minui, ita etiam tenor Bullæ de celebrandis *quotidiè* ſeptem Miſſis ad literam obſervandus eſt, ita tamen ut per accidens minui talis numerus poſſet, ſi unus v. g. Sacerdos aut extingueretur, aut graviter ægrotaret, aut propter aliam cauſam planè improviſam legitimè impediretur, nec alius, ut ſupponimus, ſuppeteret, qui locum illius ſupplêret.

Caſus circa tranſlationem Indulgentiarum.

5. Quæritur ſecundò, *an quando Summus Pontifex dat indulgentiam plenariam in die feſto, vel in die depoſitionis Sancti N. ſi propter aliquod impedimentum transferatur officium de tali Sancto in aliam diem, etiam transferantur Indulgentiæ?*

R. Hoc eſſe intelligendum juxta verba Diplo-

plomatis. Si enim in Diplomate Indulgentiarum dicatur, quòd concedantur in die depoſitionis Sancti N., v. g. quartâ, aut quintâ talis menſis; tunc Indulgentiæ videntur eſſe annexæ illi diei, qui ſic exprimitur; & propterea illô die acquirendæ ſunt, & non aliquô aliô, in quem contingeret officium transferri.

Si autem concedatur Indulgentia viſitantibus Eccleſiam N. die feſtô talis, vel talis Sancti, nullâ factâ mentione diei, menſis vel depoſitionis, vel mortis, alteriuſve eventûs, & contingat feſtum illud non celebrari die ordinario, in quem cadit, ſed aliquô aliô, in quem non ſolùm officium, ſed etiam feſtum transfertur, veroſimile eſt, Indulgentiam quoque transferri, cum Indulgentia concedatur pro die feſto talis Sancti, dies autem feſtus illius propriè ſit, dum ejus officium celebratur. Unde ſi Indulgentia concedatur in feſto Annuntiationis B. Virginis, & quia dies 25. Martii cadit in ſeptimanam ſanctam, feſtum ſimul cum officio transferatur, ac celebretur poſt *Dominicam in Albis*, Indulgentia acquiretur non die 25. Martii, ſed eo die, quô poſt Dominicam *in Albis* feſtum illud celebratur.

Idem ob eandem rationem dicendum eſt, dum nullâ ſimili factâ mentione diei, menſis depoſitionis &c. conceditur Indulgentia viſitantibus Eccleſiam talem in feſto S. Benedicti, Divi Thomæ Doctoris Angelici, S. Franciſci de Paulâ &c. & propter Dominicam Quadrageſimę, aut aliud impedimentum, Benedictini, Dominicani, Minimi, aut alii feſta illa transferunt juxta præſcriptum Romanorum Pontificum, dicendum eſt, inquam, quòd fideles lucrari poſ-

ſint

ſint Indulgentiam eô die, quo feſta illa celebrantur.

Caſus de duplici Indulgentiâ pro eâdem Eccleſiâ maximè obvius.

6. Quæritur tertiò, *an Diploma Apoſtolicum, quô Indulgentiæ plenariæ certæ Eccleſiæ conceduntur cum hâc clauſulâ modò ordinariâ, volumus autem, ut ſi aliàs Chriſti fidelibus in quocumque alio anni die dictam Eccleſiam, ſeu Cappellam, aut Altare in ea ſita viſitantibus aliqua alia Indulgentia perpetuò, vel ad tempus nondùm elapſum duratura, conceſſa fuerit, præſentes nullæ ſint*: quæritur, inquam, *an hæc clauſula ita ſit intelligenda, ut conceſſæ Indulgentiæ nullæ ſint, ſi EODEM die aliæ Indulgentiæ concurrant, an verò ALIO QUOQUE DIE per annum?*

R. Illud queſitum modò eſſe ſupervacaneum à tempore hujus noviſſimè clauſulæ, ſubrogatæ alteri antiquiori: *volumus autem, ut ſi in dictâ Eccleſiâ, aut Cappellâ aliæ Indulgentiæ perpetuò, vel ad tempus duraturæ conceſſæ ſint &c. præſentes nullæ ſint*: ob illam enim poterat oriri dubium, an clauſula iſta eſſet accipienda de Indulgentiis pro eodem tantùm die conceſſis eandem Eccleſiam viſitantibus, an pro quolibet etiam die per annum.

Hoc autem dubium ſuſtulit clauſula hęc noviſſima: *Volumus autem, ut ſi aliàs IN QUOCUMQUE ALIO ANNI DIE dictă Eccleſiam viſitantibus aliqua alia Indulgentia conceſſa fuerit, præſentes nullæ ſint*. Nullæ igitur ſunt præſentes Indulgentiæ, ſi non ſolùm eodem die, ſed etiam alio quodam die per annum dictæ Eccleſię aliqua alia Indulgentia conceſſa fuerit: ſubintellige *plenaria*.

Hinc qui quærunt Indulgentiam plenariam pro viſitantibus aliquam Eccleſiam, ſi pro viſitan-

tantibus illam, quædam alia plenaria, quæ nondum expiravit, conceſſa fuerit, curare debent, ut ſinè ejuſmodi clauſulâ eam impetrent, alioquin nullius roboris erit ſecunda Indulgentia plenaria.

Raro tamen, ut experientiâ hic Romæ didici, impetratur Indulgentia ſinè præfatâ clauſulâ.

Obſervent igitur qui Romam ſcribunt pro Indulgentiâ plenariâ, ordinariè non concedi duas Indulgentias plenarias pro eâdem Eccleſiâ, benè autem Indulgentiam unam plenariam, & aliquot partiales, ut v. g. ſeptem annorum, & aliquot Quadragenarum. Hæc pro praxi accuratè ſunt notanda: plures enim hîc erraſſe contigit.

Quòd ſi verò in aliquâ Eccleſiâ Confraternitas quædam (ut vocant) erigatur, tunc poterunt plures concedi Indulgentiæ plenariæ, una ſcilicet ratione Confraternitatis, & alia manêre, anteà, ut ſupponimus, Eccleſiæ impertita.

Pro Regularibus (ut tacitæ objectioni occurratur) petentibus v. g. Indulgentiam plenariam pro feſto Patroni ſuæ Eccleſiæ, præmemorata clauſula non ponitur, habent enim Indulgentiam plenariam pro feſtis Sanctorum Ordinis ſui, cui Pontifex non vult derogare, ideòque illa clauſula pro Regularibus omittitur.

6. Quid eſt Bulla *Cruciata*, ſeu ut alii vocant, *Sanctæ Cruciatæ*, cujus ſubinde Doctores meminerunt, quæque hîc ſuprà quæſt. 8. nu. 13. inſinuata eſt? *Bulla Cruciata.*

Ad nomen, quod attinet, vocatur *Cruciata*, quia continet Indulgentias ſimiles iis, quas Urbanus II. olim conceſſit ad recuperandam Terram Sanctam illis, qui inſigniti cruce rubeâ eò proficiſcebantur.

Deſcribitur autem *Breve*, ſeu *Diploma Pontificium conceſſum Regi Catholico Hiſpaniarum in ſubſidium belli adversùs Infideles, continens varia, & utilia privilegia*.

Dicitur *conceſſum dicto Regi*. Quia ut quis dictæ Bullæ privilegiis gaudêre poſſit, debet Regi dare certam pecuniam, non regio applicandam faſtui, ſed bello contra Infideles. Hæc pecunia, ſeu eleëmoſyna, ut vocant alii, communiter danda continet duos circiter Paulos. Eleëmoſyna augetur juxta qualitatem perſonarum illam Bullam accipientium.

Non valet Bulla, ſi pro eleëmoſyna detur pecunia furtiva. Nulli enim debet furtum prodeſſe.

Qui Bullam accipit creditô, eâ poteſt uti, ſi accipiat animo ſolvendi. Si verò accipiat creditô animo ſolvendi, ſed ob ſui impotentiam nullâ gaudeat ſpe illam ſolvendi: non fruitur privilegiis Bullæ; quia reverà non eſt ſoluturus, & Bulla requirit eleëmoſynam realem, ſaltem quæ certò ſperatur. Talis tamen haberet meritum ut loquuntur, Bullæ, *ex opere operantis*, quâ de re ſupra quæſt. 8. numerô 11.

Bulla durat per annum à die publicationis, uſque ad diem ſequentis publicationis, quæ fieri ſolet Dominicâ Septuageſimæ.

Itaque qui vel præfatam eleëmoſynam, vel majorem juxta proportionem perſonæ contulerunt pro impetratione Bullæ, debent iterum ut Privilegiis Bullę fruantur, totidem nummos, elapsô annô tribuere, & tunc rurſus donantur alterâ Bullâ.

Qui accepit Bullam in loco ubi valet, ſi accedat ad locum, ubi non valet, poteſt uti privilegiis

legiis Bullæ, exceptis privilegiis comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſimâ, ac carnes de conſilio utriuſque Medici, in diebus, quibus prohibentur, quia illa expreſsè excipiuntur.

Hinc colligitur, quænam facultates circa ova, lacticinia, & carnes præfatis temporibus, bullam habentibus competant.

Notandum verò eſt, quòd tunc ad uſum ovorum, & lacticiniorum vi Bullæ non requiratur cauſa, ſed ſufficiat privilegium: ad eſum autem carnium requiratur cauſa, nempe conſilium utriuſque Medici.

Quòd ſi dicas, quemlibet, etiam ſinè Bullâ poſſe veſci carnibus in Quadrageſimâ, de conſilio utriuſque Medici, ſcilicet animæ, & corporis.

R. Hoc tamen peculiare eſſe, quòd habentes Bullam ex theſauro Eccleſiæ, conſequantur meritum jejunii, ac ſi carnibus non veſcerentur, ut patet ex verbis Bullæ: non ſic verò alii.

7. Porro hæc Bulla à Simoniæ labe remota eſt: non enim hîc datur ſpirituale, ſcilicet Indulgentia, pro temporali, iſtâ nimirum eleëmoſynâ, ſed pro eleëmoſynâ ordinatâ ad ſpiritualia, in ſubſidium videlicet belli contra Infideles, quod quoddam ſpirituale eſt. *Immunitas ejus à Simoniâ.*

Sed en verba Angelici Bullam Cruciatæ tot antè ſæculis à Simoniâ vindicantis in ſuppl. queſt. 25. art. 4. in corpore. *Pro temporalibus*, inquit, *non poteſt fieri Indulgentia*, benè autem *PRO TEMPORALIBUS ORDINATIS AD SPIRITUALIA, SICUT EST REPRESSIO INIMICORUM, QUI PACEM ECCLESIÆ PERTURBANT.* En ipſiſſima Bulla Cruciata.

Confirmatur. *Poteſt fieri Indulgentia pro* tem-

temporalibus ordinatis ad ſpiritualia : ut eſt conſtructio Eccleſiarum, & aliarum eleëmoſynarum largitio. Ibidem : quibus verbis prædebellatur error Lutheri, qui invehebatur in Indulgentias conceſſas à Leone X. contribuentibus eleëmoſynam ob fabricam Baſilicæ D. Petri Romæ.

Quemadmodum igitur Indulgentia, quæ tribuitur ob conſtructionem Eccleſiæ, à Simoniâ immunis eſt, quia ſcilicet non datur Indulgentia præcisè pro illâ eleëmoſynâ, ſed pro illâ, ut ordinatâ ad ſpiritualia, conſtructio enim Eccleſiarum, cum concernat honorem Dei, & Sanctorum, eſt quid ſpirituale, ita etiam Indulgentia, quæ conceditur in Bullâ Cruciatâ, non eſt pro præfatâ eleëmoſynâ ſecundùm ſe ſpectatâ, ſed pro illâ, ut eſt ordinata in ſubſidium Belli adversùs Infideles, in repreſſionem inimicorum, qui pacem Eccleſiæ perturbant, quæ ſanè ſunt quædam ſpiritualia.

Unde ex eôdem locô præcitatô & præſuffocatur Lutheri error, & ſtabilitur Bulla Cruciata.

Privilegia iſtius Bullæ circa caſus reſervatos.

8. Per Bullam Cruciatæ abſolvi poſſunt omnes caſus, & cenſuræ reſervatæ Summo Pontifici, etiam in Bullâ Cœnæ Domini, exceptâ hæreſi formali, & externâ: ſubintellige (vi ejuſdem Bullæ) ſemel in vitâ, & ſemel in morte. Id colligitur ex verbis Bullæ. *Qui Bullam acceperunt ... eos: Presbyter approbatus ab Ordinario poſſit abſolvere ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis à quibuſvis peccatis, & cenſuris reſervatis Sedi Apoſtolicæ, etiam declaratis in Bulla Cœnæ Domini, excepto crimine hæreſis*.

Ex dictis infertur primò, quòd ſi quis abſolutus vi Bullæ ab uno caſu Pontificio, v. g. ab homicidio, incidat in alium caſum Pontificium, vel

vel diverſæ ſpeciei, v.g. in Simoniam realem, vel ejuſdem, non poſſit eôdem anno vi ejuſdem Bullæ abſolvi, & ſic ſucceſſivè, ſi incidat eôdem annô in alios pariter caſus Papales.

9. Contrà infertur ſecundò, quòd ſi quis ſecundô annô (quô ſupponitur accepiſſe alteram Bullam) labatur in caſus reſervatos in Bullâ Cœnæ, per illam pariter ab iſtis abſolvi poſſit ſemel in vitâ, & ſemel in morte.

Infertur tertiò, quòd Confeſſarius actu approbatus ab Ordinario in ſuâ Diœceſi non poſſit audire confeſſiones in aliâ Diœceſi virtute Bullæ Cruciatæ, ut nonnulli aliquando perperam contenderunt. Hoc enim evincunt verba Bullæ. *Qui Bullam acceperunt ... eos Presbyter approbatus ab Ordinario* (utique loci, in quo excipit Confeſſiones) *poſſit abſolvere*.

Deinde, quoad electionem Confeſſarii, Pontifex in Bulla nihil privilegii concedit, ſed vult, & intendit ſe conformare Tridentino, quod requirit approbationem actualem ab Ordinario loci, ubi fit confeſſio.

Juvat hîc ſubnectere Bullam Innocentii XII. de die 19. Aprilis 1700. circa hanc materiam.

INNOCENTIUS PAPA XII.

„ CUm, ſicut non ſinè gravi animi noſtri dolore delatis ad nos querêlis, accepimus, „ indies invaleſcat opinio per quaſdam fel. re„ cord. Pauli V., Urbani VIII., & Clemen„ tis X. Romanorum Pontificum, Prædeceſſo„ rum noſtrorum Conſtitutiones ... dudum da„ mnata, & reprobata, quâ nixi plerique illa„ rum partium privilegia, & indulta per lite-

„ ras Apoſtolicas pro Cruciatâ Sanctâ emana-
„ ta, ſeu, ut vocant, per Bullam Cruciatæ, con-
„ ceſſa ita intelligenda eſſe exiſtimant, ut facul-
„ tas in literis, ſeu Bullâ hujuſmodi Chriſti fi-
„ delibus attributa confitendi peccata ſua cuili-
„ bet Confeſſario, per quemcumque Ordina-
„ rium ad confeſſiones audiendas approbato,
„ locum habeat, & habêre cenſeatur, etiamſi
„ is non fuerit Ordinarius loci, in quo confeſ-
„ ſiones præfatas excipi contigerit; hinc eſt
„ quòd Nos ex debito paſtoralis officii ... ani-
„ marum periculis in re tanti momenti, qualis
„ eſt Sacramentalis confeſſio, paternâ charita-
„ te occurrere cupientes, nec non Conſtitutio-
„ nibus, & Decretis ſupradictis inhærentes, de
„ Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Car-
„ dinalium, in totâ Republicâ Chriſtianâ con-
„ tra hæreticam pravitatem Generalium Inqui-
„ ſitorum à Sede Apoſtolicâ ſpecialiter deputa-
„ torum, qui opinionem præfatam ex integro
„ examinarunt, remque totam maturè diſcuſ-
„ ſerunt, conſilio, ac etiam motu proprio, &
„ certâ ſcientiâ, & maturâ deliberatione, de-
„ que Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine tenore
„ præſentium decernimus, & declaramus, Bul-
„ lam Cruciatæ Sanctæ nihil novi juris induxiſ-
„ ſe, nullumque privilegium continêre quoad
„ approbationem Confeſſariorum contra for-
„ mam ejuſdem Concilii Tridentini, & prædi-
„ ctarum Conſtitutionum Apoſtolicarum, adeò
„ ut Confeſſarii quicumque illi ſint, in vim præ-
„ dictæ Bullæ Cruciatæ à pœnitentibus ad au-
„ diendas eorum Sacramentales confeſſiones
„ electi, nullatenùs confeſſiones hujuſmodi au-
„ dire valeant ſinè approbatione Ordinarii, &

Epi-

„ Epiſcopi Diœceſani loci, in quo ipſi pœniten-
„ tes degunt, & confeſſarios eligunt, vel ad
„ excipiendas confeſſiones requirunt; nec ad
„ hoc ſuffragari approbationem ſemel, vel plu-
„ ries ab aliis Ordinariis aliorum locorum, &
„ Diœceſum obtentam, etiamſi pœnitentes il-
„ lorum Ordinariorum, qui confeſſarios ele-
„ ctos approbaſſent, ſubditi forent: confeſſio-
„ nes autem aliter, & contra earumdem præ-
„ ſentium, aliarumque Apoſtolicarum Conſti-
„ tutionum formam deinceps faciendas, & ex-
„ cipiendas reſpectivè, præterquam in mortis
„ articulo, nullas fore, irritas, & invalidas.
„ Porro quamcumque contrariam opinionem,
„ tanquam falſam, temerariam, ſcandaloſam,
„ & in praxi pernicioſam: harum ſerie damna-
„ mus, & reprobamus, contrariumque uſum,
„ ac contrariam conſuetudinem hujuſmodi pe-
„ nitus, & omnino abrogamus, & abolemus.
„ Romæ die 19. Aprilis 1700.

Itaque non eſt, cur hiſce immoremur, cum ea ſit modò communis omnium Theologorum ſententia.

Cæterùm virtute Bullæ diſpenſari nequit, (quemadmodum nec in Jubilæis) ſuper irregularitatibus ex delicto.

10. Virtute ejuſdem Bullæ commutari poſſunt omnia vota (diſpenſari in iis nequit) exceptis tribus: *perpetuæ Caſtitatis, voti ſimplicis Religionis, & peregrinationis Jeroſolymitanæ*. Jure quidem ordinario reſervata ſunt quinque famoſa Pontifici: jure autem extraordinario, & ex privilegio Bullæ ſunt tantùm illa tria. *Circa commutationem votorum.*

Nequeunt porro per Bullam commutari vota emiſſa in favorem tertii, ſi ſint acceptata,

non enim conceditur facultas in præjudicium alterius, ut etiam ſupra quæſt. præcedenti numerô 4. obſervatum eſt.

Circa tempora Interdicti. 11. Deinde Bulla Cruciata concedit, ut in privato Oratorio ab Ordinario viſitato, & deſignato habentes Bullam poſſint, etiam tempore Interdicti celebrare Miſſas, & alia Divina Officia, per ſe, ſi ſint Sacerdotes, aut per alios Presbyteros in ſuâ, & ſuorum familiarium, ac conſanguineorum præſentiâ, & recipere Euchariſtiam, & alia Sacramenta, excepto die Paſchatis. Illi tamen, qui præmiſſis utentur, teneantur toties preces aliquas ad Deum fundere pro unione, & victoriâ Principum Chriſtianorum adversùs Infideles.

Per ly *Oratorio ab Ordinario viſitato, & deſignato*, ſubintelligitur, quòd Bulla Cruciata non det facultatem ad erigendum Oratorium, ſed erectum de licentiâ Ordinarii ſupponat.

Per *conſanguineos* veniunt aſcendentes, & deſcendentes, aut collaterales uſque ad quartum gradum.

Excluduntur per hanc clauſulam *affines*, niſi ſimul forent familiares illius, qui habet Bullam.

Cæterùm illi, qui poſſunt vi Bullæ celebrare in Oratorio privato tempore interdicti, vel ipſi per ſe ſi ſint Sacerdotes, vel per alios, debent interdicto cauſam non dediſſe, aut per eos non ſtare, quominùs iſtud amoveatur.

Item conceditur per Bullam, ut mortuorum corpora, niſi ii fortè vinculo excommunicationis innodati deceſſerint, cum moderatâ funerali pompâ ſepeliantur.

12. Petes, an habens Bullam tempore interdicti, teneatur audire ſacrum ſub mortali die fe-

feſto? ratio dubii eſt, quia nemo cogitur uti ſuo privilegio.

Reſponſio eſt *affirmativa*. Tenetur enim quis implêre præceptum, dum poteſt, ſed tunc poteſt, nam per Bullam poteſt audire ſacrum tempore interdicti, in Oratorio ſcilicet juxta jam dicta, ergo habens Bullam tempore interdicti tenetur audire ſacrum ſub mortali die feſto.

Nec obſtat ratio oppoſita, quòd Bulla ſit privilegium, ac proinde non imponat onus, ſed liberum relinquat habentem illud, ut eo uti velit, vel non: quia Bulla quoad facultatem audiendi ſacrum tempore interdicti; eſt quidem privilegium ex ſe liberum, ſed eſt tantùm privilegium in ordine ad pœnam interdicti, quam tollit: privatio enim usûs Sacramentorum, ſicut & Eccleſiaſticæ ſepulturæ eſt magna pœna: relinquit verò onus præcepti Eccleſiæ de audiendo ſacro die feſto, concernentis ſub mortali unumquemque fidelem, qui expeditus eſt. Cum igitur ille, qui Bullam habet, ſit expeditus, ſeu omni impedimento audiendi ſacrum ſolutus, conſequenter talis die feſto ad ſacri auditionem ſub mortali obligatur.

Sit exemplum de Principe, qui carceribus detento dat liberam facultatem indè egrediendi; tunc ille, ſi die feſto non tendat ad ſacrum audiendum, peccat mortaliter, non quia illud onus eſt ipſi impoſitum à Principe, ejus enim facultas eſt gratia in ordine ad privationem egrediendi, quæ eſt pœna ob delictum inflicta, gratia autem non imponit onus, ſed quia onus tunc audiendi ſacrum eſt ei impoſitum ex præcepto Eccleſiæ, quod omnem fidelem eô tempore obligat.

13. In his verò privilegiis cum circa tempora interdicti, tum circa alia jam recenſita, cæteraque, quæ habenti Bullam concedi ſolent (quibus, quia minoris momenti ſunt ſuperſedemus) accuratè obſervandum eſt, ea poſſe, cum ſint poteſtatis humanæ, vel tolli, vel reſtringi à Pontifice juxta diverſas rerum circumſtantias.

Hinc facilè de ſe reſolvuntur caſus aliquot, pro quibus ſubinde allegatur Bulla *Cruciata*, cui Pontifex interdùm judicat eſſe derogandum.

Pro recenſitis in hâc poſtremâ materiâ vide Patrem *Felicis Poteſtatis* in libro *Examen Confeſſariorum de Bullâ Cruciatæ*.. pag. 423.

Atque hæc de *Indulgentiis*, *Jubilæo*, & reliquis ad illam materiam ſpectantibus.

Porro ſi quod verbulum in toto hujus Opuſculi decurſu acrimoniam quandam (quam prorſus averſor) præ ſe ferre videatur, illud ex animo rejicio, & retracto, & ſi quid in Opuſculo erratum ſit, id totum Sedis Apoſtolicæ errare neſciæ judicio in omnibus prorſus ſubmitto.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN-

INDEX

Rerum ordine Alphabetico digeſtus.

A

ABſolutio à cenſuris, & omnibus caſibus reſervatis, etiam in Bulla Cœnę contentis conceditur tempore Jubilæi duarum hebdomadarum, & Anni Sancti. pag. 134

Abſolvi poſſunt à cenſuris &c. tempore Jubilæi impotentes ſatisfacere parati. 142

Abſolvi etiam poterit impotens ſatisfacere publicus Clerici percuſſor. 144

Nequit dari abſolutio à cenſuris extra Sacramentum pro foro interno: poteſt pro foro externo. 145. & 146

Abſolvendi facultas in Jubilæo à reſervatis Papæ, fert facultatem abſolvendi etiam à reſervatis, Ordinariis locorum. 150

Illa tamen non conceditur, dum ex privilegiis, & facultatibus particularibus data eſt facultas abſolvendi à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis. 151

Anachoretæ. Quinam intelligantur nomine Anachoretarum in ordine ad lucrandum Jubilæum? 120

Annus Sanctus. Jubilæum Anni Sancti quid contineat? 71

Ba-

B

B *Aptizatus ſolus eſt capax Jubilæi.* 95
Bulla Anni Sancti, quandonam promulgetur? 75

Bulla Cruciata. Definitio illius. 194. *Privilegia ejus circa cenſuras, caſus reſervatos.* 196. *commutationem votorum.* 199. *Immunitas ejus à Simonia.* 195

Quid liceat habenti Bullam Cruciatam tempore interdicti, 200? *an illam habens teneatur diebus feſtis audire Sacrum?* 201

Bulla Cœnæ: poteſtas abſolvendi à caſibus in ea contentis tempore Jubilæi. 180

C

C *Aſus reſervatus. Quid ſit caſûs reſervatio?* 147. *quinam poſſint reſervare?* 148. *an hæreſis ſit caſus reſervatus etiam tempore Jubilæi? Qualis praxis hâc in re ſit Romæ, qualis in Germania, Belgio, & alibi?* 149. *Caſus occurrentes circa abſolutionem reſervatorum.* 152

Cenſura. Etymologia cenſuræ. 132. *Definitio illius* 133. *Species cenſuræ, ſcilicet excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum.* ibid.

Quî intelligatur illud; quod in Bullis Jubilæi ordinariè exprimitur: ABSOLUTIO A CENSURIS SUFFRAGARI NON POTEST EXCOMMUNICATIS DECLARATIS, AUT PUBLICE DENUNTIATIS, NISI INFRA TEMPUS JUBILÆI SATISFECERINT, AUT CUM PARTIBUS CONCORDAVERINT? 142. *Caſus circa illam rem.* 143

Confeſſio requiſita ad lucrandum Jubilæum. 53. 115. *Caſus circa illam.* 116. *de præmittenda Confeſſione in Indulgentiis, dum Bullæ ſonant pœniten-*

nitentibus, & confeſſis. 88
Communio ad Jubilæum requiſita: & qualis? 117
De Confeſſario, tempore Jubilæi Anni Sancti 131. Confeſſarius, cui aliquis tempore Jubilæi confitetur, debet eſſe Confeſſarius loci. 131. caſus aliqui. ibid.
Commutatio votorum. Quid ſit commutatio voti? 155. facultas commutandi vota non ſe extendit ad ea, quæ ſunt in favorem tertii, ſi ſint acceptata. Caſus in hac materia occurrentes. 157. commutari poſſunt vota (in Jubilæis) trium peregrinationum. Item vota perpetua. 158. Commutantur omnia vota in profeſſionem. 159. Commutari poteſt votum de non petenda commutatione ibid. facultas commutandi vota, ad quæ tempora ſe extendat? 160. commutari nequit in pueris communio, in alia opera ad lucrandum Jubilæum. 119. commutatio votorum caſtitatis, & religionis. 177.
Caſus emergentes circa vota caſtitatis 161. commutatio votorum peregrinationis. 178
Catechumenus non eſt capax Jubilæi. 95

D

Diſpoſitio ad lucrandum Jubilæum requiſita. 95. an, & qui amentes ſint ad Indulgentias diſpoſiti, ſeu illarum capaces? 96

E

Eccleſiarum viſitatio ad lucrandum Jubilæum requiſita. 106. caſus occurrentes circa viſitationem. 107. Viſitatio debet eſſe devota. 109. caſus nonnulli. 110
Elee-

Eleëmoſyna requiritur ad lucrandum Jubilæum duarum hebdomadarum : in Jubilæo Anni Sancti non injungitur. 113. *Caſus aliqui circa eleëmoſynam.* 114

Excommunicatio : alia eſt juris, aut Canonis, alia lata ab homine. Excommunicatio juris alia reſervata, alia non reſervata. 133. *quinam poſſit abſolvere ab excommunicatione lata ab homine ?* 134. *Excommunicati alii tolerati, alii non tolerati. Illi non ſunt niſi duo (poſt Concilium Conſtantienſe) nimirum notorius Clerici percuſſor, & ille, qui nominatim, & expreſsè fuit excommunicatus.* ibid.

Externi Romam venientes ad lucrandum Jubilæum, quoties debeant viſitare quatuor Baſilicas? 80. *quinam veniant nomine externorum?* 106

F

Fornicans tempore matrimonii (poſt obtentam diſpenſationem à Pontifice in voto ſimplici caſtitatis ad contrahendum Matrimonium) committit & adulterium, & ſacrilegium, poſt matrimonium, ſolummodò ſacrilegium. 175

Feſtô translatô quomodò transferantur Indulgentiæ? 190. *Caſus circa hoc.* 191

G

Gratia, ſeu ſtatus gratiæ requiritur ad obtinendam Indulgentiam. 97. *Sufficit ille ſtatus gratiæ, dum ultimum opus perficitur.* 98

Ho-

H

HOſpitalitas erga pauperes Peregrinos ad Jubilæum tendentes exercenda: 77. & ſequentibus. *Quandonam in tali re interdum impingatur in juſtitiam?* 78

I

JEjunium. *Non requiritur illud in Jubilæo Anni Sancti, ſed in Jubilæo duarum hebdomadarum.* 111. *an jejunium Jubilæi indicti tempore Paſchali, poſſit commutari in eleëmoſynam?* 112. *Adoleſcentes ante annum 21. expletum ſi Indulgentiam lucrari velint, tenentur ad jejunium.* 113. *item operarii, & ſenes, aliàs à jejunio exempti.* ibid.

Incarcerati, & infirmi, quomodò Jubilæum Anni Sancti lucrari poſſint? 121. *quinam veniant ſub nomine Incarceratorum?* 124 *quinam ſub nomine Infirmorum?* 125. *Senes non veniunt ſub illorum nomine.* 125

Indulgentiæ. Poteſtas concedendi Indulgentias eſt in Eccleſia. 36. *per Indulgentiam verè remittitur pœna pro peccatis remiſſis in Purgatorio luenda.* 38. *in quo Indulgentiæ fundentur?* 39. *in Indulgentiis non poteſt omittere Confeſſarius injunctionem ſatisfactionis Sacramentalis.* 44. *Definitio Indulgentiæ.* 37. *Antiquitas Indulgentiarum.* ibid. *Indulgentia vivis conceſſa eſt abſolutio cum ſolutione conjuncta.* 45. *Indulgentia pro defunctis eſt tantùm per modum ſolutionis.* 46. *Diviſio Indulgentiæ in plenariam, & partialem.* 47. *Indulgentia aliquot annorum. Indulgentia quadragenæ: quandonam illa diceretur carena? quid ſit Indulgentia ſeptena?* 48., & 49. *Indulgentiæ tantùm valent, quantùm*

tùm ſonant . 50. *Solus Pontifex concedit Indulgentias plenarias , Epiſcopus tantùm reſtrictas* . 58. *Non competit Abbatibus , & Parochis illas concedendi poteſtas* . 59. *quomodò illas Clerici non Sacerdotes poſſint concedere ?* 61. *Poſſunt eas concedere , qui ſunt in peccato mortali* . ibid. *cauſæ Indulgentiarum* . 63. *quid ſit Indulgentia realis , perſonalis , localis ?* 83. *Indulgentiæ an proſint mortuis ?* 91. *an proſint infallibiliter ?* 92. *publicatio Jubilæi duarum hebdomadarum debet fieri ab Ordinario . Caſus aliqui* . 55

Irregularitas . *Ejus definitio* . 135. *Irregularitas ex delicto* . *In quibus illa incurratur ?* 136. *Irregularitas ex defectu* . ibid. *in Jubilæo non tollitur irregularitas ex delicto* . 137. *Nonnulli caſus* . 138. & ſeq. *à quo Regularis , qui irregularitate ſe ex delicto irretiit , ab illa ſolvi queat ?* 140. *Forma diſpenſationis in , vel ſuper irregularitatibus* . 141. *per Bullam Cruciatæ non datur etiam poteſtas tollendi irregularitatem* . 195

Jubilæum. Quid ſit Jubilæum ? Definitio illius . 71. *Quibus liceat Romam tendere causâ Jubilæi Anni Sancti ?* 70. *Refellitur argumentum Sectariorum contra Jubilæum* . 72. *Devotio , & confluxus Fidelium pro lucrando Jubilæo Anni Sancti* . 70. *Cauſæ Jubilæi Anni Sancti* . 77. *Implenda opera pro lucrando Jubilæo Anni Sancti* . 80. *Nec jejunia , nec eleëmoſynæ in Jubilæo Anni Sancti injunguntur : & quare ?* 82. *Jubilæum extraordinarium , ſeu duarum hebdomadarum* . ibid. *Indulgentia in forma Jubilæi in Eccleſiis FF. Prædicatorum in præcipuis Deiparæ feſtis* . ibid. *in Jubilæis poſtremis quomodò eis concedatur facultas commutandi vota , præter vota trium peregrinationum , Caſtitatis perpetuæ , & Religionis ingrediendæ , abſolvendi à caſibus reſer-*

ſervatis, inſuper & relaxandi juramenta, quæ non ſunt in præjudicium tertii. 185. *caſus nonnulli circa relaxationem juramenti.* 186. *ad lucrandum Jubilæum, vel Indulgentiam requiritur intentio actualis, vel virtualis.* 101. *Nullus poteſt pluries lucrari idem Jubilæum.* 102. *caſus hîc emergentes.* 102. & 103.

L

Lutheri errores circa materiam Indulgentiarum. 35. *Lutheri error occaſione fabricæ Divi Petri Romæ, à D. Thoma prædamnatus.* 64

M

Merentur æquè Jubilæum Anni Sancti aut infirmi, aut aliàs impediti, ſi penes ipſos non ſtet, quominùs ad Urbem accedant, præſtando tamen opera ſibi in tali caſu injuncta ac illi, qui realiter ad Urbem accedunt, & Baſilicas ad Jubilæum deſtinatas juxta numerum requiſitum viſitant. 126. *An æquè mererentur, ſi talibus Pontifex acquiſitionem Jubilæi non concederet, haberent tamen voluntatem exequendi opera, quæ ſibi pro Jubilæo adipiſcendo injungerentur?* ibid. *quomodò æquè mererentur ex opere operantis, non ex opere operato.* 127. & 128

N

Notificatio, ſeu expreſſio Gratiarum data per Clementem X. annô 1675. occaſione penultimi Anni Sancti, cui ſe conformavit Innocentius XII. 24. Januarii, & 6. Martii 1700. occaſione ultimi

N *An-*

O

OBLATÆ vocantur Mulieres, quæ non emittunt tria vota Religioſa, ſed collegialiter vivunt de licentia Epiſcopi intra aliquod Monaſterium cum obligatione ſervandi perpetuam clauſuram. Tale inſtitutum frequens eſt in Italia. *Quî & tales poſſint lucrari Jubilæum Anni Sancti?* 122

Oratio. Qualis oratio ad lucrandum Jubilæum requiratur, an ſufficiat mentalis? 111. *an ſufficiat notabiliter modica?* ibid.

Opera aliàs debita ſufficere poſſunt pro aſſequendo Jubilæo. 103. *Nonnulli caſus.* 104

P

PEregrinationum ſacrarum uſus in Catholicis ſpernendus non eſt. 66. *defenduntur illæ contra Sectarios.* ibid. *Peregrinationes in Antiqua Lege.* 67. *hiſtoria peregrinationum ad Terram Sanctam, & ad limina Apoſtolorum.* 68. & 69

Porta Sancta: cur dicatur Sancta? 76. *Portæ Sanctæ apertio.* ibid.

Pauperes, qui ſe tam diu non poſſunt alere, quomodò ſatisfaciant quoàd viſitationem Eccleſiarum tempore Anni Sancti juxta arbitrium Confeſſariorum? 81

Praxis ſcribendi ſacræ Pœnitentiariæ pro diſpenſatione, & commutatione votorum? 172. *Forma diſpenſationis ſacræ Pœnitentiariæ.* 174. & ſeq. *variæ particulæ diſpenſationis ſacræ Pœnitentiariæ explicantur.* 175. &c.

Q

QVadraginta horarum comprecationi conceſſæ Indulgentiæ tempore Anni Sancti non ſuſpenduntur. 85

R

ROmani, ſeu Incolæ Romani, quoties debeant viſitare Eccleſias pro obtinendo Jubilæo Anni Sancti? 80. quinam intelligantur nomine Romanorum, aut Incolarum Vrbis? 106

Religioſi quoties debeant, ut lucrentur Jubilæum Anni Sancti, viſitare Eccleſias? 81

Roſarii conceſſarum Indulgentiarum amplitudo, earum confirmatio 189

S

SVſpenduntur, durante Jubilæô Anni Sancti univerſim Indulgentiæ plenariæ, & partiales. 83. non ſuſpenduntur conceſſæ Indulgentiæ viſitantibus 7. Baſilicas Romanas, & Scalam Sanctam. 85. ſuſpenduntur conceſſæ viſitantibus ſeptem Eccleſias extra Vrbem. 88. Suſpenduntur conceſſæ domui Lauretanæ, & Indulgentiæ Compoſtellanæ. ibid. Non ſuſpenditur Indulgentia Portiunculæ Aſſiſiis, ſuſpenditur extra iſtum locum. 89. non ſuſpenduntur Indulgentiæ conceſſæ Defunctis immediatè, ſecùs conceſſæ vivis, & mortuis. 90. Corollaria quædam ex his deducta. ibid. Non ſuſpenduntur Indulgentiæ conceſſæ pro articulo mortis. 93. an ſuſpendantur tempore Anni Sancti, omnes facultates abſolvendi à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis? 94

N 2 Sca-

Digitized by Google

Scalæ Sanctæ deſcriptio. Singularis devotio erga illam. 88

Sanctimoniales. Quænam veniant nomine Sanctimonialium? 122

T

THeſaurus Indulgentiarum eſt agnoſcendus in Eccleſiâ. 39

V

VIſitantibus ſeptem Urbis Eccleſias, quænam ſint conceſſæ Indulgentiæ? 85. origo viſitationis iſtarum. 86. Alumni, & Convictores juvenes, & Confraternitates aliunde venientes, quoties debeant viſitare Eccleſias? 182

Votorum diſpenſatio quid ſit? 155. Confeſſarii Regulares nequeunt diſpenſare in votis. 156. Pontifex non ſolet in perpetuum diſpenſare in voto ſimplici caſtitatis. Proinde Mulier, quæ ſic vovit caſtitatem mortuô Maritô, debet votum ſervare: vel novam pro ſecundis nuptiis petere diſpenſationem. 177. caſus circa vota caſtitatis. 161. Caſus circa vota Religionis ingrediendæ. 164. caſus occurrentes circa vota conditionata, & pœnalia caſtitatis, & Religionis ingrediendæ. 166. an reviviſcant vota in illo, qui in Jubilæo non implet opera injuncta? 171

W

WAldenſes Sæculô 12. & Wicleff (Joannes) ſæculô 14. præcurſores errorum Lutheri circa Indulgentias. 35

ER-

Digitized by Google

ERRATA.

PAginâ 53. in illa verba, *ut conditio ſinè quâ non*, irrepſit comma poſt *quâ*, illud debet eſſe poſt Ly *non*.

Pag. 38. habetur eorum. Lege earum.

Pag. 140. excommunitionis. Lege excommunicationis.

IN ROMA, MDCCXXIV.
Nella Stamperia di Antonio de' Roſſi, nella Strada del Seminario Romano.
Con licenza de' Superiori.

Si vendono dal Sig. Gio. Lorenzo Barbellini Libraro a Piè di Marmo all'Inſegna di S. Pio Quinto.

MAG 2002222

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google